






FRANCISCI GIFTSCHUTZ

IN UNIV. VINDOB. THEOL. PROFESSORIS

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ PASTORALIS,

EX LINGUA GERM. IN LATINAM CONVERSÆ.

Novam editionem auctiorem curavit Alumnorum suorum commodo IOSEPH ZOLA *Brix. S. Th. et I. C. D. Collegii Germ. et Hung. Rect. H. E. P. in Acad. Ticinensi, Regius Librorum Censor, etc.*

PARS II.

MATRITI:

TYPIS AGUADO ET SOCIETATIS.

ANNO MDCCCXX.

Se hallará en la librería de MATUTE, *calle de las Carretas, junto á la Imprenta nacional.*

AUCTARIUM

INSTITUTIONUM THEOLOGIÆ PASTORALIS.

I.

Exempla institutionis Socraticæ.

II.

Præcepta eloquentiæ sacræ decerpta ex libro IV. S. Augustini de Doctrina Christiana.

EXEMPLA

INSTITUTIONIS SOCRATICÆ.

Egregia plane sunt, Alumni optimi, quæ tradita sunt in his Theologiæ Pastoralis institutionibus Part. I. Sect. II. §. 58. et seqq. de methodo pueros religionem docendi; quam methodum tunc demum esse optimam, cum fit per colloquia, usus demonstrat. Sed quam difficile sit talia colloquia apte et convenienter instituere, vix dici potest. Ac certæ quidem regulæ, quoad fieri potuit in re perdifficili, traditæ explicatæque sunt de instituendis id genus colloquiis; sed quod §. 60. delibatum est de illo genere collocutionis, sive institutionis, quam vocant Socraticam, vereor, ut a nostris adolescentibus, qui instituuntur in opus ministerii, satis intelligatur. Nam cum in Italia potissimum excultum perfectumque sit difficile hoc genus eloquentiæ, et posteaquam optimum ejus exemplum á Marsilio Ficino propositum fuit, elegantissimo Platonis interprete, vix numerari possint, qui in illo excelluerunt; hæc

tamen dicendi scribendique forma propria vulgo est habita illius generis, qui se doctos homines profitentur, animarum pastoribus abunde esse vulgo creditum, si qualescumque sermones ad populum habere, puerosque interrogare de elementis christianæ religionis utcumque possint. Nam et illud per summam injuriam ab aliquibus creditur pastorali obeundo ministerio sufficere quæcumque ingenia, parum etiam exculta, cum tamen id ministerii, præter animi virtutes magnam prorsus requirat ingenii vim et copiam doctrinæ. Quamobrem cum hæc fere negligatur Ecclesiasticæ institutionis pars, nonnullos quidem parochos ineptire necesse est, cum serunt familiaria de religione colloquia; quod vero multi nihilo minus excellant etiam in hoc genere eloquentiæ, id potius cuidam felicitati naturæ, usuique diuturno, quam rectæ informationi certisque principiis est tribuendum. Longe aliter in Germania se res habet; ubi incredibile dictu est, quanto studio tum apud heterodoxos, tum apud nostros, excoli cœperit ars catechistica, ipsaque hæc, de qua speciatim sermo nobis est, institutio Socratica; adeo ut et Sodalitia doctissimorum hominum ad hanc scientiam excolendam instituta sint, Professoresque delecti, qui in eam potissimum incumberent, et egregii de hoc argumento libri prodierint, iisque præmia proposita, qui præter ceteros excellerent, demum apud nostros vel regiis edictis cautum, nequis ad Sacerdotium adeoque ad pastorale munus promoveatur, nisi de ejus in hac parte scientiâ diligentissime exploratum fue-

rit; quod vel ex hoc libro passim intellexistis. Itaque nostrorum potius, quam vestri gratia, qui reversi in patriam abundabitis præceptis institutisque hujus disciplinæ, quid ea proprie sit, exemplis declarabo. Principio autem, id quod traditum est, hic paucis repetendum, Socraticam collocutionem multum distare ab *examine*, ut ajunt, *catechistico*; in quo scilicet historia quædam aut doctrina pro fundamento ponitur, deinde in varia dissolvitur membra, propositisque puero quæstionibus, utrum illam perceperit, exploratur. Hujus rationis absolutissimum exemplar præbuit Fleuryus in *Catechismo historico*, præsertim illo, quem *minorem* vocavit; in quo primo quidem tum historiæ sacræ, tum doctrinæ Christianæ summam tam paucis tamque dilucide complexus est, ut nihil plane sit, quod non vel a tardioribus pueris intelligi ac retineri possit, deinde vero proponendas ipsis quæstiones sic concinnavit, ut quæ explicata sunt, continuo revocentur in mentem, aptaque ex iis responsa eliciantur. Quam perspicue ex. gr. lect. XX. (nam hæc forte occurrit librum aperienti), de Ecclesiæ Sacramentis exponit! Nam cum antea de divinis mandatis exposuisset, "tum Dei gratiâ opus »esse ait, ut impleri possint; eam vero solere »Deum impertiri quibusdam signis in sensus in»currentibus, quæ Sacramenta vocantur. Ita»que in baptismo, dum aquâ corpus abluitur, »simul Dei gratiâ animam intus mundari. Nec »dubitare posse, quicumque Sacramentum ali»quod ritu et sancte perceperit, se Dei gratiam

»percepisse. Sacramenta omnia Christum instituisse, ut nobis singillatim accommodaret sanguinis et mortis suæ pretium; ac pro iis omnibus »instituisse, quibus indiget vita hominis spiritualis; in quam scilicet nos inducit Sacramentum baptismatis, cum ex aqua et Spiritu Sancto renascimur"; et quæ sequuntur. Quibus mira, ut solet, perspicuitate et brevitate expositis, sponte fluunt ad has quæstiones responsa: quid Sacramenta? quænam perceptorum rite Sacramentorum utilitas? Sacramenta quis instituit? cur instituit? Et hæc quidem brevis expositio doctrinæ, de qua postea quæstiones fiant, etsi vulgo desideretur in catechismis plerisque omnibus, semper existimanda est præcessisse; cum alioquin illæ quæstiones, licet simplices apteque propositæ, vix possint a pueris intelligi nisi ea præcesserit. Velut in *Breviario Christianæ institutionis*, Neapoli decem abhinc annis edito, illud primum quæritur a puero, quid Christianæ institutionis nomine sit intelligendum; isque respondere ponitur, intelligere se eam institutionem, in qua discitur quemadmodum æterna salus comparari possit. Rursus æternæ salutis scientia quid sit, interrogatus, eam esse respondet, in qua traditur, quid credendum, quid sperandum nobis sit, quid faciendum atque vitandum, postremo quid sit petendum, ut salutem æternam consequi possimus. In catechismo, qui trium *episcoporum* vulgo dicitur, vel tenerioris ætatis pueri, qui Chrismatis Sacramentum nondum acceperint, interrogantur, quid sit illud, ad quod præcipue

animum appellere debeant; in Colbertino et Lugdunensi, quis illos creavit, et usque ad id temporis conservavit, et quem in finem; in illo vero Catechismo, quem ego puer didici, *tu, quis es?* interrogatur paucorum annorum puer; ac respondens inducitur: creaturam rationalem se esse, conditum quidem ad imaginem et similitudinem Dei, Christianum vero factum Jesu Christi gratiâ. Præclare quidem omnia, si rei, de qua quæritur, præcesserit informatio. Nam ad hæc tam gravia tamque sublimia doctrinæ capita quis responsa speret ab illa ætate sine informatione hujusmodi? Itaque tali interrogatione repente pulsatum ac pæne territum me respondisse memini, Josephum me esse, Hieronymi parentis filium; nam id meo parenti nomen; quod quidem responsi Socraticæ collocutioni, de qua nunc dictarus sum, præbebat occasionem atque materiam, ut post varias quæstionum ac responsionum velut ambages tandem ad rem ipsam posset deveniri; sed non ea tunc res agebatur; tantum utrum rem ipsam tenerem, quæ prius exposita esse debuerat, *examine catechistico* explorabatur. Ab aliis quidem aliter tale etiam examen institutum fuisse scio; velut in Catechismo, qui conscriptus fuisse fertur a Roberto Bellarmino, Cardinali, Venerabili et doctissimo viro, et in Mediolanensi novissime edito, ipse puer, sive discipulus inducitur magistrum interrogans, sibique exponi postulans præcipua Christianæ doctrinæ capita; quam rationem non improbo, maxime ubi provectior sit ætas et judicium firmius; at cavendum in utro-

que Catechismo fuerat, ne puer de iis quærere, quæ superant ejus captum, aliquando poneretur; multoque magis, ne quæstiones proponeret, quibus explicatis magis pasci curiositas inanis et noxia, quam Christiana veritas illustrari posset; quod in primo aliquando factum; veluti dum in explicatione illius Apostolici symboli particulæ, qua nos credere profitemur Jesum Christum conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, discipulus exemplo ac similitudine sibi a magistro declarari postulat, quemadmodum virgo concipere possit. Nolo plura hujus generis exempla afferre, ne id facere videar incitatus reprehendendi studio; et jam collocutio Socratica quid sit, paucis exponere aggredior. Hæc igitur sic instituta est, ut initium capiat a re quavis indifferenti et ab eo de quo quæritur in speciem remotâ. Pueri interim, seu quisquis interrogatur, eâ de re judicia, quæcumque futura sint, eruuntur. Ac si pueri sint, quibus aut nulla, aut exigua, aut non recta est eorum, de quibus interrogantur, informatio, dum in iis explorandis hæretur, totaque attentio defigitur, dum inde excutiuntur quasi veritatis scintillæ, quæ in iis delitescunt, dum ipsi novis pulsantur quæstionibus, donec tandem ad id, quod res est, deducantur, incredibili sane dexteritate et patientia opus esse experiemini. Cognoscetis autem hac ratione, quid puer vere sentiat, et occasio erit in promptu corrigendi prava animi sensa, rectaque novis argumentis confirmandi, ipsa denique veritatis juncturâ cætera quæ ignorat docendi. Nam si firmior

ætate ac judicio sit qui docetur, hanc rationem instituere multo est facilius; velut S. Augustinus in libro *de catechizandis rudibus*, catechisticæ orationis formulam exhibiturus, hominem ad se venisse ponit, qui vult esse Christianus, et utrum esse velit propter vitæ præsentis aliquod commodum, an propter illam requiem, quæ post hanc vitam speratur, interrogat; cumque is propter hanc futuram requiem Christianum se esse cupere respondisset, ab hoc laudabili proposito ducit exordium; cumque ea non in rebus inquietis; non in divitiis nec in honoribus, neque in oblectamentis carnis et in spectaculis, sed unice in Deo sit quærenda summo et incommutabili bono; tum homini, posteaquam illam requiem peccato perdidit, ejus recuperandæ nullam rationem esse posse ait nisi per Verbum Dei ipsum Christum, in quo requiescunt omnia in sancto silentio; viamque sibi sternit ad humani generis fædæque ejus prolapsionis historiam, et ad divinæ in perditum hoc genus misericordiæ œconomiam, ipsiusque Christianæ religionis institutionem atque doctrinam ab ultima mundi origine ad consummationem usque temporum mirabiliter exponendam. Quæ quidem omnia recte proponantur atque explicentur homini, qui jam ratione uti, et in tantis ac tam periculosis hujus sæculi tempestatibus de aliqua vera et certa securitate cogitare cœperit. Verum a paucorum annorum puero, cui nondum felicitatis sit vera notio, vel post multas quæstiones, multaque responsa, quid bonæ frugis extundatis, siquidem utrum felix esse velit,

interrogaveritis? Illi enim semper ineptire visi mihi sunt, qui pueris ut se accommodent ac tenellis mentibus ideam ingerant æternæ felicitatis, nescio quos cibos jocosque angelicos, quibus una cum Deo in cœlo perfruantur, fingere consueverunt. Nam licet his maxime capiatur illa ætas, danda tamen etiam atque etiam est opera, ne falsis notionibus, quas diu multumque servet, imbuatur, atque ut paulatim ad veri rectique ideas, commodæ orationis filo breviori longiorive, prout opus est, ambitu, captâque belle vel ex ineptis responsis occasione, deducatur. Hanc docendi rationem, propterea quod eam maxime adhibuerit perfeceritque Socrates, nominavere Socraticam; de qua quidem commentati sunt egregie præter cæteros Jacobus Bruckerus in *Historia critica philosophiæ* part. II. libr. II. cap. II. quod est *de Schola Socratica*; Melchior Cesarottus, quem honoris causa nomino, in prœmio ad *Apologiam Socratis*, a Ludovico Flanginio, nunc S. R. E. Cardinali, homine græce doctissimo, italice conversam; postremo Diet. Tiedemannus in præfatione ad *Argumenta Dialogorum Platonis a se exposita et illustrata*, Biponti edita anno MDCCLXXXVI. Hic, de re ut constet, pauca ex Bruckero sufficiet delibasse. Ergo Socrates cum eum philosophandi finem sibi præfixisset, non tam ut argutis disputationibus aut curiosà rerum cœlestium explicatione eruditionem ostentaret, quorum prius Sophistæ faciebant, posterius Physici, quam ut mortalium animos ab erroribus liberaret, et ad veram felicitatem viam

sterneret; tum ut facilius id assequeretur, totam potius urbem docendi locum sibi esse voluit, quam peculiarem ac privatam scholam aperuit. Itaque *erat semper in hominum oculis* (teste Xenophonte libro. I. *Memorabilium Socratis*) *at mane quidem pergebat ad loca deambulationibus et exercitiis destinata*; cujusmodi erant Academia, Liceum, pratum item amœnisimum extra urbem, in Ilissi fluvii ripa; *circa meridiem vero, cum frequens erat forum, item conspiciebatur in publico, reliquumque diei istic degebat, ubi versaturus esset inter plurimos. Disserebat autem is plerumque; sic tamen ut ipsum audiendi facultas esset iis quicumque vellent.* "Nec tum demum docebat "(quod monet Plutarchus *de genio Socratis*) ubi "posita subsellia essent, aut cathedra conscensa, "aut discipulis constituta hora deambulationis aut "scholæ, sed cum aliis ludens, cum aliis, ut oc-"casio ferebat, bibens, militans, in foro versans; "ad extremum etiam in carcere agens, haustoque "etiam veneno philosophabatur." Et vel per officinas quærebat sapientiæ discipulos, nedum magnos viros, nobilissimosque juvenes, quales Critiam et Alcibiadem fuisse novimus, sectabatur. Methodo vero utebatur admirabili, ita ut non solum dicendo esset acerrimus, sed et summa arte homines caperet circumveniretque. Constabat vero hæc methodus ironiâ maxime et inductione; quarum primâ eo utebatur artificio, ut *de se ipse detrahens in disputatione plus tribueret illis, quos volebat refellere*, donec propriis verbis convicisset; sic enim usurpatam Socrati dissimulationem,

quam Græci *eigonзian* vocant, exponit Cicero libro I. *Quæstionum Academicarum*; alterâ vero, ut idem ait libro I. *de Inventione* cap. XXXI., *rebus non dubiis captabat adsensionem ejus, quicum instituta erat disputatio; quibus assensionibus faciebat, ut illi dubia quædam res propter similitudinem earum rerum, quibus assenserat, probaretur.* Atque inductionis hujusmodi præclarum exemplum profert, quo apud Socraticum Æschinem demonstrat Socrates cum Xenophontis uxore et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam. Nam cum Xenophon et ejus uxor sæpe inter se discordarent, tum Aspasia, philosophiæ peritissima, sic, ut in gratiam redirent, persuadere conabatur. "Dic mihi, quæso »(ait), o Xenophontis uxor, si vicina tua melius »habeat aurum quam tu habes, utrum illius an »tuum malis? Illius, inquit. Quid si vestem, et »cæterum ornatum muliebrem pretii majoris ha»beat, quam tu habes: tuumne, an illius malis? »Illius vero, respondit. Agesis, inquit, si virum »illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne »tuum, an illius malis? Hîc mulier erubuit. As»pasia autem cum ipso Xenophonte sermonem sic »instituit: Quæso, inquit, Xenophon, si vicinus »tuus meliorem equum habeat, quam tuus est: »tuumne equum malis, an illius? Illius, inquit. »Quod si fundum meliorem habeat, quam tu ha»bes: utrum tandem fundum habere malis? Illum, »inquit, meliorem scilicet. Quod si uxorem me»liorem habeat, quam tu habes, utrum illius ma»lis? Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. »Post Aspasia: Quoniam uterque vestrum, in-

»quit, id mihi solum non respondit, quod ego »solum audire volueram: egomet dicam quid »uterque cogitet: nam et tu mulier optimum vi»rum mavis habere, et tu, Xenophon, uxorem »habere lectissimam maxime vis. Quare nisi hoc »perfeceritis, ut neque vir melior, neque fæmi»na lectior in terris sit, profecto id semper, quod »optimum putabitis esse, multo maximo require»tis: et tu, ut maritus sis quam optimæ mulie»ris, et hæc quam optimo viro nupta sit. Hîc, »cum rebus non dubiis esset assensum, factum »est propter similitudinem, ut etiam illud, quod »dubium videbatur, siquis separatim quæreret, »id pro certo propter rationem rogandi concede»retur. Hoc modo sermonis plurimum Socrates »usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad »persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi »ille dederat, quicum disputabat, aliquid confi»cere malebat, quod ille ex eo, quod jam con»cessisset, necessario approbare deberet.“ Hac methodo Socrates, quemcumque aggressus erat, undecumque etiam disputationis fecisset exordium, postremo circum agebat, semelque adactum non prius dimittebat, quam omnia essent discussa, suisque argumentis victum ad se ipsum redire compellebat; nec gravem et morosum ea in re se præbebat Socrates; sed humanitate, jucunditate, lepore omnia condiebat. Itaque homo modestus nullius magistrum se jactabat, nec accipiebat minerval, sed matri suæ, quæ obstetriciam fecerat, similem se esse prædicabat, quæ parum ipsa fæcunda aliarum tamen fœtus

dextere in lucem educebat. Et hac quidem via tum ad emendandos mores, tum ad stultitiam evertendam Socrates impigre grassatus est. Nam et juvenum ita sibi devinxit animos, ut hunc potissimum sapientiæ doctorem sequerentur, et sophistarum inanem loquacitatem falsasque artes ita denudavit, ut omnibus essent derisui, quæ res multorum odium atque calumnias in eum concitavit, vitæque tandem conflavit periculum. Nam cum sophistas maxime pungeret, et ironiâ circumventos non prius dimitteret, quam convicti erubescerent, adeo crabrones irritavit istos, ut eum tamquam hominem derisorem atque mendacem traducerent; unde et Timon occasionem arripuit, ut est apud Diogenem Laertium in libro II. *de Vitis philosophorum*, acerbâ satyrâ illum vocandi *loquacem, imposturæ magistrum, derisorem, rhetorem subatticum, simulatorem*; et Aristophanes, editâ comediâ, quæ *Nubes* inscribitur, hoc quoque nomine eum in theatro publice traduxit. Hujus disputandi methodi plurima nobis exempla reliquerunt ipsius discipuli Xenophon atque Plato, tanto artificio contexta, ut non defuerint, qui hanc rationem omnibus aliis præferent. Atque hujus præcepta quoque tradita sunt; a Xenophonte in primis, qui libro IV. *Memorabilium Socratis* illud potissimum observari jubet, ut qui aggrediuntur disputationes hujusmodi, probe sciant, quid unaquæque res sit, ut aliis possint exponere; nam qui nesciunt, mirandum non esse, si et ipsi fallantur, et aliis erroris causa fiant; alterum ut ab iis ordiantur quæ maxime apud

quosque sunt cognita; per hunc enim modum sermonem habiturum in progressu dicendi firmitatem atque securitatem. Et Cicero libro cit. *de Inventione*, de Socratica inductione præcipit, primum ut illud quod inducimus per similitudinem, ejusmodi sit, ut sit necesse concedi; deinde illud cujus confirmandi causa fit inductio, videndum esse ait, ut simile iis rebus sit, quas res quasi non dubias induxerimus, postremo ut is, cujus revincendi gratiâ tota hæc tractatur argumentatio, non intelligat, quo spectent illæ primæ inductiones, et ad quem sint exitum perventuræ. Nam qui videt, si ei rei, quæ primo rogetur, recte assenserit, illam quoque rem, quæ sibi displiceat esse necessario concedendam, plerumque aut non respondendo aut male respondendo longius procedere rogationem non sinit. Sed cum rem totam exemplis magis quam præceptis illustrare propositum nobis sit, age jam Socraticarum collocutionum exempla aliqua proferamus. Quod cum facere cogitarem, utrum ex Platone, an ex Xenophonte exempla sumerem, dubitavi; sed ex hoc manui; cum Plato quidem præcipuus sit, ut Quintilianus ait, vel acumine disserendi, vel eloquendi facundia divina quadam et Homerica, postremo tanta in eo doctrina fuerit, ut cum ante illum omnes inter Græcos illustres ad externas gentes sapientiæ causa peregrinati fuissent, post ipsius tempora cæteræ nationes Athenas confluxerint; præstet vero Xenophon, præter excellentiam doctrinæ, nativâ quadam eloquentiæ perspicuitate et jucunditate, et inaffectata veritate verborum

atque sententiarum; quo magis hujus sermonibus ad vivum referri existimo naturam Socraticæ institutionis; cum Plato contra latius expatietur, ac vehementiore ferveat impetu, ac dum multa peregrina admiscet longiusque orationem trahit, iis aliquando videatur obscurior, qui non satis accuratâ veteris philosophiæ scientiâ pectus compleverunt. Exempla vero maxime suppeditant laudati supra libri *Memorabilium Socratis*; velut libro II. quo loco agit de amoris fraterni concordiæque pretio et usu, ut Chærecratem moveat Socrates ad redeundum cum Chærephonte fratre in gratiam, primum ostendit, quam sit præstantius atque utilius nobis præsto esse fratres, quam divitias et servos; tum ad amorem fraternum facere iisdem parentibus esse natum et una nutritum; atque qui fratres habent, eos magis coli minusque insidiis peti. Ergo Chærecrates et Socrates sic inter se colloquuntur.

Chærecrates. *Frater meus animo est alienissimo a me.*

Socrates. *Sed idem aliis est amicus.*

Chær. *Hanc ipsam ob causam odi eum quod mihi soli tantopere adversatur.*

Socr. *Hoc fieri solet, si quis fratre non recte uti sciat.*

Chær. *At ego novi laudare, et benefacere digno, sed indigno ne conabor quidem.*

Socr. *Si canem tibi iratum studes mitigare, cur non potius fratrem?*

Chær. *Artem tantum non calleo.*

Socr. *Atqui magna arte non est opus. Hi*

vero Socrates inductione quadripartita utitur, qua evincit ad amicitiam reconciliandam valere, siquis prior benefecerit. Tum, *æque laudandus es* (inquit), *si beneficiis provocaveris fratrem, quam si quis prior amicis profuerit, et hostibus obfuerit: Præterea tu aptior es rei quam frater ipse.*

Chær. *Sed absurdum est, natu minorem facere rei initium.*

Socr. *At ubique more receptum, natu minorem cedere majori. Nec operam perdes, quia frater tuus est ingenuus, et liberalis, qui benignitate facile capietur. Præterea concordia fraterna, quam ipsa natura instituit, utilior est, quam usus duarum manuum, pedum, oculorum, aliorumque corporis membrorum geminorum; cum fratres dum amici sunt, quamvis multum unus ab altero distet, agant tamen ea, quæ sunt invicem profutura; quod illa membra corporis non possunt.* Et sic quidem Socrates Chærephontem atque Chærecratem fratres inter se altercantes ad concordiam reducere conabatur. Libro vero tertio Glauconem quemdam adolescentem a capessenda republica, cui ob ætatem, et imperitiam idoneus nullo modo erat, avertendum, utitur Socrates inductione, de qua paulo ante monui: nempe de singulis reipublicæ partibus, de quibus imprimis cum populo agendum erat, velut de reditibus augendis, de sumptibus publicis minuendis, de hostium, civitatisque copiis, de excubiarum ratione, de argenti fodinis, de re frumentaria, aliisque similibus interrogando hominem eo deducit, ut iste summam omnium rerum inscitiam prodat. "Ergo cum ad

*

»Socratem accessisset Glauco, primo quidem ut »vellet eum audire, hujuscemodi verbis illum de»tinuit. O Glauco, inquit, rempublicam nostram »regere cogitas? Ita ait, o Socrates. Si quid in »humanis me hercule, et hoc mihi honestum esse »videtur. Planum enim, si hoc obtinebis; quod »poteris ipsemet quæcumque concupiveris, obtine»re, amicos juvare, domum paternam erigere, »patriam augere; atque præclarus fama efficie»ris, primo quidem in civitate, deinde apud Græ»ciam totam, postea vero fortassis etiam apud »Barbaros, sicuti Themistocles: ubicunque au»tem fueris, ubique celeber eris. Hæc audiens »Glauco superbiebat, ac libenter manebat. Post »hæc autem Socrates: Patet autem hoc, Glauco »inquit, si honorari velis, utilitatem aliquam ci»vitati reperire debes. Vehementer, ait. Per Deos »igitur immortales, inquit, noli me celare, sed »dic nobis, a quo incipies civitati benefacere? Cum »autem Glauco tacuisset, quasi tunc cogitaret, »unde inciperet: Nam, Socrates inquit, quemad»modum si amici domum augere velis, ditiorem »eam conaberis efficere, ita etiam tentabis ditio»rem efficere civitatem? Ita, inquit. Ditior au»tem, Socrates ait, effecta fuerit, si ei multipli»centur proventus. Veri simile est, ait. Dic igitur »nobis, inquit Socrates, in quibus nunc divitiæ »civitatis consistunt, quotquot sunt? Patet enim te »super his supputasse supplendi causa, si quid defi»ciat. Me hercule! Glauco inquit, super his non »consideravi. Sed si hæc, Socrates inquit, præter»misti, sumptus quos civitas subiit, enumera no-

»bis: palam namque est, te cogitasse auferre illos,
»qui superflui sunt. Me hercule! nondum nec ad
»ista vacavi. Quo itaque pacto ditior civitas effi-
»cietur? supersedebimus, ait Socrates; nec enim
»possibile est ignorantibus sumptus, ac reditus,
»horum curam habere. Sed, ó Socrates, Glauco
»inquit, possibile est ab hostibus etiam civitatem
»ditari? Vehementer ait, dummodo quis hostes
»superet; quod si vincatur, etiam sua amittet.
»Verum dicis, inquit. Illum igitur, ait, cujus
»consilio bellum aliquibus inferatur, et civitatis
»potentiam, et hostium scire oportet, ut si ma-
»jor est potentia civitatis, suadeat bellum: si mi-
»nor, abstinere consulat. Recte ais, inquit, pro-
»fecto. Primo itaque, ait, expone nobis tam ter-
»restrem, quam navalem civitatis potentiam, de-
»inde hostium. Me hercle, ait, non possem ita
»ex tempore tibi exponere. Sed profer, inquit, in
»medium si quid tibi de ista re conscriptum exis-
»tit: valde namque libenter audiam. Me hercle,
»ait, nec quidquam mihi conscriptum existit. De
»bello etiam igitur, inquit, non esset a princi-
»pio consulendum; fortassis enim propter eorum
»magnitudinem, præsertim cum nuper incepisti
»militare, nondum investigasti. De custodia ve-
»ro civitatis scio te curam habuisse, ac scire,
»quot opportunæ, quotve superfluæ custodiæ sunt,
»et quot custodes sufficiunt, quisque numerus
»eorum non sufficiens sit, ac opportunas quidem
»custodias consulere augere, superfluas vero au-
»ferre. Me hercule, Glauco ait, omnes ego di-
»cerem esse tollendas, cum ita custodiant, ut agro

»noceant nostro. At Socrates: nonne putas, in-»quit, si quis custodias auferret, potestatem ar-»ripiendi omnibus fore volentibus? utrum autem »tu ipse abiens examinasti hoc, an quomodo scis »quod nostro cum damno atque malo custodiant? »Conjicio, inquit. Num igitur, ait, cum non »conjiciamus, sed certo sciamus, tum de his etiam »consulemus? Fortassis, Glauco inquit, hoc me-»lius sit. Ad argentarios vero, inquit, certo te-»neo te non abiisse, ut habeas dicere, cur pau-»ciora nunc illinc quam antea adveniant. Mini-»me, inquit. Etenim me hercle, Socrates ait, lo-»cus ille dicitur esse morbosus; quapropter cum »hac de re consulere oporteat, hæc excusatio ti-»bi sufficiet. Considero, Glauco inquit. Hoc ta-»men, ait, certe non neglexisti, sed conside-»rasti, quanto tempore ad alendam civitatem, »quod in agro nostro nascitur, triticum sufficiat, »quantoque alieno in annum indigeat, ne te »aliquando lateat civitas indigentiam perpessa, »sed cognoscens possis consulendo civitati quæ ei »necessaria sunt prospicere, salvamque eam fa-»cere. Gravissimam rem ais, Glauco inquit, si »quidem horum quoque curam habere oportet. »Atqui, Socrates ait, nec suam privatam quis-»que bene domum habitet, nisi omnia sciat »quibus opus ei fuerit, omniaque diligenter ac-»quirat. Sed cum civitas, inquit, ex pluribus »quam decem millibus domibus constituta sit, »difficile vero sit tot domorum simul curam ha-»bere, cur non tentasti unam primo avi tui do-»mum augere? etenim indiget. Nam si hanc po-

»tueris majorem efficere, conaberis postea etiam »civitatem augere. Quod si uni prodesse non po- »teris, multo minus pluribus. Sicut si quis unum »talentum ferre non possit, quomodo non planum »plura ferre non esse ei conandum? Ad hæc »Glauco: Possim ego, inquit, domui avi pro- »desse, dummodo mihi suadenti pareat. Cum »igitur, Socrates ait, uni tuo avo suadere non »possis, cunctos Athenienses una cum avo tuo »putas posse inducere ad tibi parendum? Cave, o »Glauco, inquit, ne cupiditate honoris assequaris »contrarium. An non vides quam periculosum sit »ea dicere aut agere, quæ quisquam ignorat? »Considera autem quales apparent, quoscumque »cognoscis dicentes aut agentes quæ minime »sciunt, utrum videntur tibi in hujuscemodi lau- »dari, an potius vituperari? et utrum honorari »ab hominibus vel negligi? Considera vero etiam »illos, qui sciunt quæcumque dicant, quæcum- »queve agant. Ut ego namque puto, in omnibus »invenias illos quidem honoribus et admiratione »dignos, qui maxime sciant: qui vero ignorant, »illos ignominiis ac contemptu affectos. Si ita- »que cupis honoribus ac admiratione in civi- »tate affici, conare quam maxime potes, ut »scias quæcumque agere velis. Si enim in his »præstantior aliis effectus incipias rempublicam »regere, non mirarer, si valde facile quæcumque »cupis obtineas." Sed et quæ posita sunt libro IV. Socratis cum Euthydemo colloquia talia sunt, de quibus aliquid moneam. Socrates non prius ad rempublicam juvenes, aut quamcumque artem ca-

pessendam incitandos esse statuebat, quam eorum animus fuisset præceptis ad eas virtutes formatus in earumque amore et cultu confirmatus, quas Græci *sophrosunen* uno vocabulo cognominarunt. Nam sine iis omnem scientiam artemque esse hominum societati magis noxiam quam utilem. Ergo primum ex providentia Deorum necessitatem et utilitatem eos colendi demonstrat. Deos vero hominibus consulere, patere ait ex bonis, quæ hominum causa sunt parata et collata; ex luce, ex terræ frugibus, aquâ, igne, ære, solis calore, lento maris accessu recessuque, ex frutu, qui percipitur ex bestiis, ex interiori et externo sensu ad res bonas malasve discernendas, ex usu sermonis et futurorum significatione, quæ contingit Deorum cultoribus, qui Dii quamquam ipsi videri nequeunt, eos tamen esse opera, quæ edunt, ostendunt, quemadmodum solis, fulminum, ventorum mentisque humanæ vis et natura ex effectu atque ex operibus est cognoscenda. Tot ergo taliaque beneficia homines commovere debere, ut Deos, quantum per imbecillitatem humanam fieri possit, venerentur. Hoc jacto fundamento, quo superstruitur cognitio primum Deorum legumque divinarum et humanarum, et hinc derivata pietas in Deos, patriam, parentes, benefactores, mutuaque liberorum in parentes et parentum in liberos pietas; jacto (inquam) hoc fundamento juvenes Socrates ad reliquas virtutes tum publicæ, tum privatæ vitæ bene agendæ necessarias imprimisque ad temperantiam præceptis suis formabat. Ergo narratur a Xenophonte

ejus cum Euthydemo colloquium, in quo disserit, intemperantiæ deditos in servitute esse miserrima.

Socrates. "Et dic mihi (inquit) o Eutydeme, »putasne bonam magnamque possessionem homini atque civitati libertatem esse ? "

Euthydemus. "Maximam, inquit."

Socr. "Quicumque igitur corporis servit libi»dini bus, et ob eas, quæ sunt optima, nequit ex»sequi, putasne hunc esse liberum ? "

Euthyd. "Minime, inquit."

Socr. "Fortassis homine libero dignum vide»tur tibi posse agere quæcumque bona sint : de»inde habere qui interpellant istiusmodi facere, »servile quidpiam deputas ? "

Eutyd. "Omnino, inquit, puto."

Socr. "Omnino igitur tibi videntur inconti»nentes etiam non liberi esse? "

Eutyd. "Per Iovem, inquit, et merito."

Socr. "Utrum incontinentes videntur tibi pro»hiberi ea facere, quæ honesta sint, an et cogi »ea facere quæ turpia ?"

Euthyd. "Non minus hæc mihi videntur cogi »facere, quam et illa prohiberi. "

Socr. "Quales tu dominos putes, qui bona »prohibent, et turpia cogunt ? "

Euthyd. "Hercle quam pessimos."

Socr. "Servitutem vero quam tu esse putas »pessimam ? "

Euthyd. Ego, inquit ille, hanc pessimam ese »puto, quæ apud pessimos feratur."

Socr. "Pessimam igitur servitutem incontinen»tes serviunt ? "

Euthyd. "Mihi, ait, videtur." Atque in hunc modum prosequitur Socrates, probatque incontinentes a studio sapientiæ arceri, cogique malum pro bono amplecti; expertes esse voluptatis veræ, quæ percipi possit ex cibo, potu, somno; tum ex boni et mali scientia, studioque rerum, quæ necessariæ sunt ad vitam recte transigendam; denique alienos esse ab omni virtute, et more bestiarum vivere. Contra temperantes cum sectentur bonum et abstineant a malo, fieri optimos felicissimosque, et rebus gerendis maxime idoneos. Alia possem exempla proferre, quibus a Xenophonte methodus explicata est, qua Socrates quæstiones propositas disceptare solebat; sed hæc abunde esse arbitror, quare Socratica institutio quid sit, in aperto ponerem. Quamquam cur ab hominibus Christianis Socratica et non magis Christiana nominetur hæc docendi ratio, qua scilicet nemo melius perfectiusque Christo Servatore usus sit, equidem non video. Nam ubicumque esset Christus, in agris, in plateis, in domibus, in templo, quoscumque haberet obvios, omnesque qui ad se accederent, purioris vitæ præcepta docere nunquam cessabat; nihil quod ad hæc obeunda pertineret, negligebat; non insidias et pericula, non itinerum molestias, non ærumnas ac labores ullos refugiebat; utebatur vero docendi forma ad Iudæorum cæterorumque populorum orientalium captum atque consuetudinem accommodata; qualis præcipue erat figurata, quæque res divinas imaginibus sumptis a rebus humanis maximeque præsentibus illustraret. Velut Ioannis

quidem cap. IV. instantis messis occasione de messe spirituali discipulos suos monet; Matthæi vero cap. VII. ad præsentem fructuum tempestatem respiciens eosdem monet e fructibus, id est moribus homines esse dignoscendos; postremo cum esset in monte oliveti, loco fertili vitibusque consito, plurima mistice de vinitore, de vinea, atque sarmentis locutus est; ad piscatores suos de piscatoribus hominum loquebatur. Quo de argumento memini me alio loco laudasse docte disserentem virum summum Isaacum Newtonum cap. XI. *Observationum in Danielem*, quæ extant inter ejus *opuscula* tom. III. Mirificus vero plane est Christus, ubi propositas sibi a legis doctoribus quæstiones explicat, eosque sumpto e re quavis argumento revincit, ad incitas redigit, ac tacere compellit. Ac Salzmannus quidem homo doctus, et de re catechistica præclare meritus in libro quem germanice conscripsit *de optima methodo pueros imbuendi Christiana religione*, nullum se dubitare ait, quin optimos haberemus Christi dialogos, iisque nihilo minus excellentes, quos habuit Socrates, siquidem omnia quæ is modo cum discipulis suis collocutus est, modo cum adversariis disputavit, omnia memoriæ tradita litterisque consignata fuissent. Ego vero quæ de ipso scripta sunt Evangelia, abunde et amplius esse puto, quare de prestantia colloquiorum Christi nullo modo a quoquam sit dubitandum; quæ colloquia eo sunt præstantiora ac perfectiora, quo simpliciora sunt, et clariora, paucisque contorta, denique iis sententiis repente conclusa, quæ

tela possitis dicere, ad lævas hominum mentes percellendas ejaculata. Nam qui juxta brevius, exempli gratia et clarius, quid sapientius, et ad dissipandos hominum vaferrimorum dolos accommodatius illo Christi colloquio, quod refert Matthæus cap. XXII. quemadmodum scilicet astutiam Pharisæorum eluserit, qui toties perstricti adeo non sunt compuncti ad pœnitentiam, ut nihil jam aliud cogitarent animis, quam ut ipsum perderent? Sed non semper aderat perpetrandi facinoris opportunitas, et populum metuebant. Ergo sic rem per cuniculos agere visum est, ut ab se amolirentur invidiam facti, totamque illam in Cæsarem ejusque Præfectos derivarent. Itaque communicato inter ipsos consilio, causam reperire, ad se nihil attinentem, idque efficere conati sunt, ut Christus, proposita sibi per quosdam subornatos quæstione, suomet implicaretur responso, fieretque principibus obnoxius, ac per illos veluti majestatis reus et seditionis auctor occideretur. Erat autem commentum hujusmodi. Cum Iudæa Romanis tributaria esse cœpisset, ab Agusto censui colligendo rex Herodes Antipatri filius præfectus est. Hac vero de re non erat omnium eadem sententia. Quibusdam enim indignum videbatur populum Deo sacrum tributum solvere ethnico Principi; atque hac in sententia erant, qui Pharisæis adhærebant. Rursus erant, qui Cæsari faverent, dicerentque oportere solvi tributum; et qui hanc opinionem defenderent, Herodiani dicti sunt propterea quod Herodes tributi colligendi præfectus esset. Atqui extiterant paulo ante duo

illi Theudas et Iudas, qui dum palam defenderent, Iudæos populum Deo dicatum non debere tributum cuiquam ethnico Príncipi, velut seditiosi extremo supplicio sunt affecti. Itaque Pharisæi sperabant fore, ut Christus religioni favens magis quam Cæsari, solita libertate pronunciaret adversus Herodianos non esse pendendum Cæsari tributum, moxque per illos deferretur Herodi, daturus pœnas, quas Theudas et Iudas paulo ante dederant. Quod si pronunciasset esse reddendum tributum, jam calumniarentur illum principibus impiis adulari, minusque favere religioni divinæ. Subornant igitur aliquot e suis dicipulis, qui præsentibus Herodianis, ac frequente multitudine hominum, ne res careret testibus, illum fucata et blanda oratione capiant, ac velut in nassam illiciant. Tanta erat cœcitas, ut toties re frustra tentata nunquam quiescerent. Ergo magistrum vocant, quem antea dixerant habere spiritum Beelzebud, libertatemque illius collaudant, ne vereatur Herodianos offendere. Magister, inquiunt, novimus te veracem esse, nec assentiri cuiquam, nec mentiri quidquam; sed magna cum libertate doces, quod Deo placitum est, non quod hominibus videtur. Non enim vereris quemquam mortalium, nec est apud te respectus personarum. Dic igitur nobis, quid tibi videatur; utrum liceat Iudæorum populo divinæ religioni addicto pendere tributum Cæsari, an non? Dabimus posthac, an non dabimus? At Iesus ut ostenderet illorum insidiosa blandiloquentia se minime falli, ita responsum admirabili sua sapientia temperavit, ut

neutri factioni se redderet obnoxium, sed utramque commonefaceret, quod magis ad illorum salutem pertineret, nimirum ut Deo principi summo censum pietatis imprimis exsolverent. Ergo quid me, inquit, tentatis, hypocritæ? ostendite mihi numisma census. Conabantur enim Iesum ipsiusmet illaqueare verbis; ille vicissim eos ipsorum responsis illaqueabat. Obtulerunt igitur denarium habentem Cæsaris imaginem ac titulum. At Christus ut declararet non propterea se venisse ut leges ferret hisce rebus, quæ nihil ad pietatem attinebant quæque pro tempore aut recte fieri possent aut secus, nummo conspecto, quasi parum agnosceret ejusmodi litteras atque imagines qui cœlestia tractabat, cujus imago et inscriptio esset, rogavit; atque eam Cæsaris esse responsum est. Tum Christus: ergo reddite (inquit) Cæsari, quæ sunt Cæsaris, sed imprimis reddite Deo, quæ Dei sunt. Quo responso significavit nihil officere pietati, siquis Deo dicatus ethnico principi det tributum, etiamsi non debeat, malens obsequi quam provocare, præsertim in ea re, quæ faciat aliquanto pauperiorem, non impium facit. Alioqui si exigat quod nos faciat impios, non jam Cæsaris tributum est sed diaboli. Hoc autem audito responso omnes admirati sunt, primum quod intelligerent illi non latuisse dolosum commentum, deinde prudentiam admirabilem, cui frustra tenderet insidias humana versutia. Agnoscitis, arbitror, hujus loci, paucis demptis, elegantem Desiderii Erasmi periphrasin, cujus recitare passim aliqua loca soleo, ut quod in his *ins-*

titutionibus aliquando dictum est, quam parochis ea futura sit utilis ad evangelicas historias atque sententias explicandas, siquidem librorum hujusmodi tanta amplius non sit raritas, intelligatis. Verum præstantissimæ licet sint tales periphrases semper mihi visæ sunt multum ponderis majestatisque detrahere evangelicis verbis, quæ mira brevitate juxta atque perspicuitate potenter in pectus influunt. Exemplo sit ipsa Matthæi pericope, quo tota hæc refertur historia Christique cum Pharisæis collocutio. "Tunc (ait) abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum ait: quid me tentatis, hipocritæ? ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus. Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, eoque relicto abierunt." Hanc brevitatem, hanc perspicuitatem, hanc vim dicendi, qua fraudes machinationesque omnes dissipabantur hominum improborum, in Christi colloquiis semper admirari fas est. Velut ejusdem Evangelii cap. XII. cum Iesus abiret per sata quodam Sabbato, ac discipuli stimulante fame vellerent spicas, manibusque confricantes ederent

grana, Pharisæi captantes undique calumniandi materiam, dixerunt: *Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.* Cur ergo non illos prohiberet, ac Sabbatum impune violare permitteret? Hic vero Christus discipulis suis ita patrocinatus est, ut tamen ipsum non possent criminari velut auctorem violandi Sabbati, simulque docet constitutiones hujusmodi cessare debere, quoties necessitas aut insignis quædam utilitas inciderit. Sabbatum enim et jejunia aliaque similia non esse in hominis perniciem instituta sed in salutem. Itaque Pharisæis legis peritis primum exemplum objecit ex lege non cujuslibet hominis, sed illius, quem ipsi imprimis probatum et inculpatum habebant. Cur ergo calumniarentur dicipulos suos quod re facile parabili succurrerent fami? *Non legistis* (ait) *quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant? quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit quos non licebat ei edere neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Alio deinde argumento Christus aggreditur Pharisæos; ipsam nempe legem alicubi jubere violari Sabbatum; siquidem sacerdotes in templo Sabbato jugulant pecudes, et lanienam quamdam exercent, congerunt struem lignorum, incendunt; cum tamen quidquam operis Sabbato fieri lex prohibeat. Hæc fieri sciebant Pharisæi, et propterea quod ad aram templi fierent, probabant. Ergo si tanta erat illorum judicio templi auctoritas, ut quidquid operis illi pendebatur, id minime violaret sanctitatem sabbati, quanto magis credere oportebat immunes a violati Sab-

bati crimine, quicumque ei ministrarent, qui templo major esset? Si minime violabant Sabbatum, qui in sacrificiis Mosaicis laborabant, quanto magis excusandi qui servirent Evangelio, qua non alia victima Deo gratior? Nam qui Sabbatum instituit certo cultu observandum, idem potest et Sabbatum tollere; et qui Sabbatum instituit, hominis gratia instituit, non contra Sabbati causa condidit hominem. Æquum est igitur, ut saltem externa observatio Sabbati cedat hominum utilitati, non ut homo Sabbati causa pereat. Ac si tantum tribuitur sacrificio, ut qui illi servit impune violet Sabbatum, cur non et ille habeatur excusatus, qui vel Sabbato proximum necessario beneficio sublevat? Quandoquidem hoc sacrificium Deus sibi fatetur esse pluris, quam si quis immolet pecudem; ait enim: *misericordiam volo et non sacrificium.* Quod si intellexissent Pharisæi qui legis peritiam supra ceteros profitebantur, nunquam ii Christi discipulos plane inculpabiles, quod vel Sabbato vellerent obvias spicas ad famem sedandam, in crimen vocassent. *Non legistis* (ait) *in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si autem sciretis, quid est, misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est filius hominis etiam Sabbati.* Perversam hanc observandi Sabbati rationem nunquam non studuit Christus ex animis suorum penitus eximere. Ergo quo magis perspicuo exemplo idem animis omnium inculcaret, eo loco di-

gressus, in Synagogam Pharisæorum rediit, habiturus eos testes, quos sciebat huic morbo atque superstitioni potissimum obnoxios. Et ecce statim illic se se offert occasio miraculi perpetrandi. Aderat enim quidam in turba dexteram manum habens mancam et arefactam. Ad Pharisæi, qui occasionen ubique venarentur accusandi Iesum, an sanaturus esset hominem in Sabbato, observabant; et utrum fas esset, percontati sunt. Nolebant enim ipsi quidquam pronunciare, ne si licere negassent coram multitudine, viderentur crudeles, si affirmassent, occasionem perderent iterum accusandi Iesum. Nam et paulo ante discipulis suis patrocinatus fuerat in Sabbati violati crimine. Iesus autem volens omnibus palam facere calumniam illorum non ex religione sed ex invidia proficisci, jussit hominem prodire in medium quo vitium dexteræ esset omnibus conspicuum, et vel misericordia commoverentur erga calamitosum, qui membrum, omnium maxime necessarium pauperi, mortuum et inutile circumferebat. Ac mussitantibus Pharisæis, quid cogitarent animo, non ignorans, nodum quæstionis, proposito exemplo, secuit. "Nam quis (ait) erit „ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si „ceciderit hæc in foveam, non protinus admo„veat illi manum, ut extrahat eam? Quanto me„lior homo est ove? Itaque licet Sabbatis bene„facere." Cæterum cum Christus Iesus ne his quidem verbis sentiret illorum invidiam mitescere, nec hominis miserandi conspectu, nec ratione tam evidenti commoveri, circumferens oculos suos

et de tanta cœcitate cordis illorum indolescens, ad eum conversus, qui manum habebat aridam et contractam: *extende*, ait, *manum tuam*, extenditque manum, et confestim sanitati, sicut altera, restituta est. Cumque omnium frequentissima hæc esset Iudæorum adversus Christum criminatio, quod vel diebus festis sanitati restituere ægrotos, ac benefacere non dubitaret; quæ nimirum criminatio facile tegebatur apud multitudinem religionis specie; tum Christus aliis atque aliis argumentis eam calumniam frangebat; altioribus etiam aliquando, velut cum Ioannis cap. V. sanato ad piscinam ægroto, qui XXXVIII. annis elanguerat, Sabbatum grabbatum jussit tollere; id vero factum Iudæis calumniantibus, respondit se omnia sua simul operari cum Patre; mortuosque vivificare, ac judicem ab illo constitutum esse omnium, cui Ioannes, et propria opera, et Moyses ipse testimonium perhibeant. Frequentius tamen iis utebatur argumentis, quæ vocari solent *ad hominem*, ex lege fere petitis, et cuique notissimis, præsertim legis doctoribus, quæque in dubium nemo posset vertere; atque ita Judæos suomet jugulo petebat. Quod fecisse eum modo vidimus, cum discipulos suos vellentes Sabbato spicas excusaret. Idque rursus capite VII. Ioannis facit, cum proposito circumcisionis exemplo Iudæos convincit, quod ipsum injuste calumniarentur de sanato homine die festo; quippe *unum* (ait) *opus feci, et omnes miramini.... Moyses dedit vobis circumcisionem.... et in Sabbato circumciditis hominem. Si circumci-*

sionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbato? Cæterum obvia omnibus exempla, quibusque magis percelleretur rude vulgus, libentissime proponebat, iisque sæpius utebatur. Nam et exemplum de bove et asino repetit Lucæ cap. XIII. cum Sabbato curasset illam mulierem infirmam ab annis octodecim; quod factum cum indigne ferret archisynagogus, ac diceret tubæ: "Sex dies sunt, in quibus oportet „operari; in his ergo venite, et curamini, et non „in die Sabbati; tum respondens ad illum Do„minus dixit: unusquisque vestrum Sabbato non „solvit bovem suum aut asinum a præsepio et „ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, „quam alligavit Satanas, ecce decem et octo an„nis, non oportuit solvi a vinculo isto die Sab„bati? Et cum hæc diceret, erubescebant omnes „adversarii ejus, et omnis populus gaudebat in „universis, quæ gloriose ab eo fiebant." Et rursus cap. sequenti cum Sabbato intrasset Iesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum, ut manducaret, omniumque oculi in eum essent intenti, ecce homo quidam hydropicus, ante eum constitit. Tum Iesus, utrum sanare ægrotum liceret Sabbato, legis peritos, et Pharisæos interrogavit. *At illi tacuerunt, ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit. Et respondens ad illos dixit: cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die Sabbati! Et non poterant ad hæc respondere.* Quæ quidem nolim existimetis temere nulloque consilio hic a me esse re-

petita et posita. Magni enim prorsus momenti esse arbitror vos intelligere quanti intersit vel eadem argumenta sæpius in hujusmodi collocutionibus repetere exemplo Christi, quæ quidem argumenta maxime omnium ad populi captum, et captiones hominum eludendas sint accommodata, quin vobis tantopere metuendum sit nimis dilicatum quorumdam fastidium, qui lenocinia magis eloquentiæ quam veritatem ament, vosque coctam cramben recoquere, et tanquam verborum ac sententiarum inopes eâdem semper oberrare chordâ calumnientur. Nec is ego sum qui prorsus negem vel in familiari colloquio aliquando licere altius assurgere pro ratione loci ac temporis auditorumque ingenio; quod et Christum fecisse novimus, præsertim in Ioannis evangelio; denique nec negem aliquando licere evangelicum sermonem ad usitatam nostris moribus atque temporibus loquendi rationem accomodare; quod ab Erasmo factum elegantissima Novi Testamenti periphrasi quæ modo laudata est, ab auctoribus gallicæ sacrorum Bibliorum interpretationis a Rondetio editæ, dum commode interserunt pauca verba, quibus supplentur hiatus atque ellipses, orientalibus fere communes, a nostro usu loquendi remotæ; sed ille modus, illa castitas atque majestas evangelici sermonis servanda semper est; quem modum minime servans Berruyerius, omnia fuco illinens, omnia calamistris inurens, ut nihil de impietate dicam ubique disseminata, fecit ex historia sacra Romanensem fabulam. Cæterum quam nullum negotium sit, Christi collo-

quia sic, ut isti volunt, iisdem fere verbis atque sententiis concinnare, monstravit exemplo suo Salzmannus libro cit. sect. IV. quo loco repetit modo commemoratam historiam hominis hydropici; monet rem ita se instituere credidisse Pharisæos, ut aut virtutem miracula perpetrandi, qua Christus pollebat, suspectam redderent, si opis expertem hominen dimitteret, aut si sanaret, ipsum divinum medicum violati Sabbati reum postularent; denique Christum sic inducit Socratico more colloquentem, ut vocare isti malunt, hominisque astutos sapientissime eludentem.

Christus. *Amici, acciditne vobis aliquando, ut Sabbato in fossam caderet bos vester asinusve?*

Pharisæi. *Accidit id quidem plus una vice.*

Christ. *Infelicem bestiam, quam sic misere interire necesse fuerit.*

Phar. *Non equidem, nam confestim accurrimus, indeque eam extraximus.*

Christ. *Id vero Sabbato? Non credo equidem.*

Phar. *Cur non id faceremus etiam Sabbato?*

Christ. *Atqui non licet Sabbato quidquam facere.*

Phar. *Præclare quidem; sed id fieri tunc postulabat rei necessitas.*

Christ. *Utrum igitur vos præstare existimatis, hominem bove, an bovem homine?*

Conticescunt hic Pharisæi, subitâ quæstione perculsi. Tum vero Christus, frustra responsum expectans: *Ergo conceditis* (ait) *præstare hominem bove. Quare si vel Sabbato ratio habenda est bovis, cur non magis hominis, eique sanitas restituenda?* Habetis optimum exemplum, quo Chris-

ti quæstiones, responsa, atque sermones in socraticas, ut ajunt, collocutiones, si ita lubet, convertantur. Et præclara quidem alia de genere hoc exempla præbet Salzmannus de suo; nollem tamen aliquando fuisse longiusculum; velut in illo dialogo mihi esse visus est, in quo magistrum inducit, cum discipulis suis Ludovico atque Maximiliano de omnipotentia Dei colloquentem. Non hîc repeto perlectum vobis dialogum; nam et longius hæc schola est protracta, quam ut diutius vos detineam, nimis jam respondendo, colloquendo, atque audiendo defatigatos..

***

et isti vera sic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes, impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter: isti pro veritate lenti, frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Cum ergo sit in medio posita facultas eloquii, quæ ad persuadenda, seu prava, seu recta, valeat plurimum, cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si ea mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis, et erroris usurpant?"

§. 2.

Officium Doctoris Christiani. Cap. IV. n. 6.

Officium vero Doctoris Christiani describit Augustinus in hunc modum. "Debet (ait) divinarum Scripturarum tractator, et Doctor, defensor rectæ fidei, ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere: atque in hoc opere sermonis conciliare aversos, remisos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare. Ubi autem benevolos, intentos, dociles, aut invenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt, sicut postulat causa. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est, si tamen indigeat, ut res, de qua agitur, innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Si vero qui audiunt,

monendi sunt potius quam docendi, ut in eo, quod jam sciunt, agendo non torpeant, et rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes, et increpationes, concitationes, et coercitiones, et quæcumque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria."

§. 3.

Interest magis ut sapienter dicat Christianus orator, quam ut eloquenter; et unde id possit consequi.
Cap. V. n. 7. et 8. et cap. XXVIII. n. 61.

Quosdam esse deinceps observat, qui sapienter quidem, quod magis interest, at non eloquenter possint dicere. Sapienter autem (inquit) tanto magis vel minus homo dicit, quanto in Scripturis Sanctis magis minusve profecit, maxime iis bene intelligendis, et diligenter earum sensibus indagandis. Huic ergo, qui sapienter debet dicere etiam quod non potest eloquenter; verba Scripturarum tenere maxime necessarium esse ait; quanto enim se pauperiorem cernit in suis, tanto eum oportere in istis esse ditiorem, ut qui propriis verbis minor est, Scripturarum testimonio quodammodo crescat. Cæterum qui non modo sapienter, sed etiam eloquenter possit dicere, eum procul dubio plus profuturum; itaque doctorem, ut possit utrumque, debere omnino contendere; tamen Augustinus ad legendos vel audiendos et exercitatione imitandos eloquentes eum mittit libentius, quam magistris artis rhetoricæ vacare præcipiat; si tamen ii qui leguntur, et audiun-

tur non solum eloquenter, sed etiam sapienter adeoque salubriter dixisse vel dicere veraci prædicatione laudantur.

§. 4.

Exempla sapientiæ cum eloquentia conjunctæ ex Paulo Apostolo, et ex Amos Propheta. Cap. VII. n. 12. 16. 17. et 21.

Pergit vero S. Doctor, et germanam eloquentiam, cui velut inseparabilis comes adhæreat sapientia, maxime in sacris litteris inesse exemplis docet. Exempla autem adducit ex Paulo, qui licet præcepta eloquentiæ secutus non sit, ejus tamen sapientiam quin secuta sit eloquentia, nemo negaverit; veluti scribent ad Corinthios epist. II. quosdam redarguit, qui erant ex Judæis pseudo-Apostoli, ministerio suo detrahentes; et quoniam seipsum prædicare compellitur, hanc sibi velut insipientiam tribuens, quam sapienter dicit, quamque eloquenter! *Quod loquor* (ait) *non loquor secundum Deum, sed quasi in stultitia in hac substantia gloriæ. Quoniam quidem multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor. Libenter enim sustinetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Toleratis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit: secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo et ego. Hebræi sunt? et ego. Israelitæ sunt? et ego. Semen Abrahæ sunt? et ego. Ministri Christi sunt? et*

ego; ut insipiens dico, plus ego. In laboribus plurimum, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frecuenter. A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore, et ærumna, in vigiliis sæpius: in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore, et nuditate. Præter illa quæ extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infimor? quis scandalizatur, et ego non uror? Si gloriari oportet, in his, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. "Quanta sapientia ista sint dicta (sic enim concludit Augustinus) vigilantes vident; quanto vero eloquentiæ flumine cucurrerint, et qui stertit, potest advertere." Totam deinde percurrit Pauli periocham, et quem impetum, quem decorem, quam delectationem singula membra habeant, disertissime exponit, negatque cum his comparari posse, quæ a rhetoricæ magistris tanto emuntur pretio, tanta jactatione venduntur. Denique exemplum profert ex Amos, illo propheta ex homine rustico, quo loco quosdam redarguit impios, superbos, luxuriosos, fraternæ charitatis negligentissimos: *qui dormirent in lectis eburneis, et lascivirent in stratis suis; qui comederent agnum de grege, et viculos de medio armenti; qui canerent*

ad vocem psalterii; sicut David, putabant se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph. "Nam quid est (ait) quod isto eloquio aures sobriæ plus desiderent? Primo ipsa invectio, quasi sopitis sensibus, ut evigilarent, quo fremitu illisa est? *Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in Sion, et confiditis in monte Samariæ Optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* Deinde ut beneficiis Dei, qui eis ampla spatia regni dedit, ostendat ingratos, quoniam confidebant in monte Samariæ, ubi utique idola colebantur: *Transite*, inquit, *in Calamne, et videte, et ite inde in Enath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est.* Simul etiam, cum ista dicuntur, locorum nominibus, tanquam luminibus ornatur eloquium, quæ sunt Sion, Samaria, Calamne, Emath magna, et Geth Palæstinorum. Deinde verba, quæ his adjunguntur, locis, decentissime variantur. *Opulenti estis, confiditis, transite, ite, descendite.*" Pluraque in hoc ipso loco, pro exemplo a se posito, reperiri posse ait Augustinus, quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ; "qui tamen locus (inquit) non tam si diligenter discutiatur, instruit, quam si ardenter pronuncietur, accendit. Non enim hæc humana industria composita, sed divina mente esse fusa et sapienter et eloquenter, non intenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia. Si enim ea quæ velut oratoria

arte discuntur, non observarentur, neque redigerentur in hanc doctrinam, nisi prius in oratorum invenirentur ingeniis; quid mirum si et in istis inveniuntur, quos ille misit, qui facit ingenia? Quapropter et eloquentes, non solum sapientes fuisse canonicos doctores, tali usos eloquentia, qualis personis ejusmodi congruebat."

§. 5.

Obscuritas sacrorum auctorum, licet eloquens, non imitanda a doctoribus Christianis.

Cap. VIII. n. 22.

Cæterum canonicos Scriptores non ea parte Christiano Doctori imitandos esse monet, qua pro congruentia temporum atque personarum ad acuendas mentes, studiaque acuenda discere volentium quædam utili ac salubri obscuritate dixerunt. Illos quippe sic locutos fuisse ait, ut posteriores, qui eos recte intelligerent, et exponerent, alteram gratiam in Dei Ecclesia reperirent. "Non ergo (inquit) expositores eorum ita loqui debent, tanquam se ipsi exponendos simili auctoritate proponant: sed in omnibus sermonibus suis primitus ac maxime, ut intelligantur, elaborent eâ quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligat, aut in rerum, quas explicare atque ostendere volumus, difficultate ac sublimitate, non in nostra locutione sit causa, quo minus tardiusve, quod dicimus, possit intelligi."

§. 6.

Quantum esse debeat perspicuitatis in dicendo studium, maxime cum sermo habetur ad populum.

Cap. X. n. 24. et 25.

Maximum ergo perspicuitatis in dicendo studium esse debet. Atque ejus perspicuitatis gratia aliquando negligenda esse docet verba ipsa cultiora, nec curandum quid bene sonet, sed quid bene indicet quod ostendendum est. Unde et quamdam esse ait in hoc locutionis genere diligentem negligentiam; quæ tamen sic detrahit ornatum, ut sordes non contrahat. Cur pigeat ex. gr. pietatis doctorem imperitis loquentem *ossum* potius quam *os* dicere, ne vultum scilicet atque ora intelligant, ubi Afræ aures de correptione vocalium vel productione non indicant? "Quid enim (ait) prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant, loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba, quæ non docent. Et si pro eis alia integra, quæ intelligantur potest dicere, id magis eliget. Si autem non potest, sive quia non sunt, sive quia in præsentia non occurrunt, utetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur, atque discatur integre." Atque hæc quidem perspicuitas non solum in collocutionibus, sive fiant cum aliquo uno, sive cum pluribus, verum etiam quando sermo habetur ad populum, multo ma-

gis est necessaria. Causa est: "quia in collocutionibus libera est cuique interrogandi potestas. Ubi autem omnes tacent, ut audiatur unus, et in eum intenta ora convertunt, ibi ut requirat quisque quod non intellexerit, nec moris est, nec decoris; ac per hoc debet maxime tacenti subvenire cura dicentis. Solet autem motu suo significare avida multitudo cognoscendi, utrum intellexerint. Quod donec significet, versandum est quod agitur multimoda varietate dicendi, quod in potestate non habent, qui præparata, et ad verbum memoriter retenta pronuntiant. Mox autem ut intellectum esse constiterit, aut sermo finiendus, aut in alia transeundum est. Sicut enim gratus est qui cognoscenda enubilat, sic onerosus est qui cognita inculcat eis duntaxat, quorum tota expectatio in dissolvenda eorum, quæ panduntur, difficultate, pendebat."

§. 7.

Suavitas quoque dictionis pro ratione argumenti procuranda est. Cap. XIV. n. 32.

Nec vero tantum perspicue, sed et suaviter dicendum esse vult Augustinus; tum oratoris esse, docere, delectare, flectere; et quomodo hæc tria præstare debeat. Nam propter illos, quibus fastidientibus non placet veritas, si alio quocumque modo, nisi eo dicatur, ut placeat ei sermo dicentis, datum esse ait in eloquentia non parvum etiam delectationi locum. Oportere igitur Ecclesiasticum oratorem, quando suadet aliquid, quod agendum est, non solum docere ut instruat,

et delectare, ut teneat, verum etiam flectere, ut vincat. Dictionis tamen suavitatem pro argumenti gravitate procurandam esse monet, non inani verborum ambitu exornandam; cujus rei exemplum adducit ex epistola Cypriani ad Donatum, ut omnes intelligant (ait) "quam linguam doctrinæ Christianæ sanitas ab ista redundantia revocaverit, et ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit, qualis in ejus consequentibus litteris secure amatur, religiose appetitur, sed difficillime impletur. Ait ergo quodam loco: (Epist. I. ad Donatum) *Petamus hanc sedem: dant secessum vicina secreta, ubi dum erratici palmitum lapsus pendulis nexibus per harundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt.*" Quæ quidem non nisi mirabiliter affluente facundia dici posse ait, sed profusione nimia gravitati displicere.

§. 8.

Doctori Christiano orandus Deus ante concionem Cap. XV. n. 32.

Agat ergo Christianus orator quantum potest, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter intelligatur; tamen pietate magis ac precibus, quam dicendi facultate hæc se consecuturum non dubitet. Itaque ipsa hora qua ad dicendum accedit, "prius quam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit, fundat." Cum enim de unaquaque re, quæ secundum fidem, et delectationem tractanda sunt, multa sint quæ di-

cantur, et multi modi quibus dicantur ab his, qui hoc sciunt, qui novit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt (Sap. 7.): Et quis facit, ut quod oportet, et quemadmodum oportet, dicatur a nobis, nisi in cujus manu et nos, et sermones nostri sunt? Ac per hoc discat quidem omnia, quæ docenda sunt, qui et nosse vult, et docere, facultatemque docendi, ut decet virum ecclesiasticum, comparet. Ad horam vero ipsius dictionis illud potius bonæ menti cogitet convenire, quod Dominus ait (Matth. 10): *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

§. 9.

Docendi præcepta non superfluo dantur, tametsi doctores efficiat Deus. Cap. XVI. n. 33.

Hic vero objectationem antevertit Augustinus non esse scilicet hominibus præcipiendum, quid aut quemadmodum doceant, si doctores efficit Spiritus Sanctus. Ergo posset etiam dici (respondet) nec orandum nobis esse, quia Dominus ait: scit Pater vester, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo; nec Paulum Apostolum præcipere Timotheo et Tito debuisse, quid vel quemadmodum aliis præciperent, quas tres Apostolicas epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita.... Sed non ipse (ait) contra se ipsum sentit Apostolus, qui

cum dicat doctores operatione fieri Spiritus Sancti, ipse illis præcipit, quid et quemadmodum doceant, neque hominum officia cessare debent atque adjumenta doctrinæ; et tamen neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

§. 10.

De triplici dicendi genere, et quo sensu Doctor Christianus semper in materia grandi versetur.
Cap. XVIII. n. 36.

Hinc vero progreditur, explicatque qua ratione in Christianum oratorem illa cadat M. Tullii sententia: eum demum esse eloquentem, qui poterit parva submisse, modica temperate, magna granditer dicere. Magnum quippe forensium caussarum, et quæstionum Ecclesiasticarum discrimen est. Cum enim omnia, maxime quæ populis de loco superiore dicuntur, ad salutem æternam referri debeant, quæcumque dicit Ecclesiasticus orator, omnia esse magna, atque is in materia grandi semper versari dici potest. Rem totam illustrat exemplo Pauli Corinthios gravissime et grandi prorsus eloquentia reprehendentis, propterea quod liticulas, quæ facile potuissent inter ipsos dirimi, traherent ad tribunalia. "*Audet quisquam vestrum* (inquit) *adversus alterum habens negotium, judicari ab iniquis, et non apud Sanctos? An nescitis quia Sancti mundum judicabunt? Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quia Angelos judicabimus, nedum secularia? Secularia igitur judicia si habueritis,*

eos qui contemptibiles sunt in ecclesia, hos constituite ad judicandum. Ad reverentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum judicare? Sed frater cum fratre judicatur, et hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, et fraudatis, et hoc fratres. An nescitis quod injusti regnum Dei non hæreditabunt? Quid est, quod sic Apostolus indignatur? sic corripit, sic exprobrat, sic increpat, sic minatur? Quid est quod sui animi affectum tam crebra, et tam aspera vocis mutatione testatur? Quid est postremo quod de rebus minimis tam granditer dicit? Tantum ne de illo negotia secularia meruerunt? Absit. Sed hoc facit propter justitiam, charitatem, pietatem, quæ nulla sobria mente dubitante etiam in rebus quamlibet parvulis magna sunt."

§. 11.

An Christiano oratori semper dicendum granditer.
Cap. XIX. n. 38.

Ergo quo sensu illa sententia in Christianum oratorem cadat explicans, licet is magna semper debeat dicere, negat tamen ea semper debere granditer dicere: "sed submisse cum aliquid docetur; temperate cum aliquid vituperatur, vel laudatur; cum vero aliquid agendum est, et ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer et ad flectendos animos congruenter. Et aliquando

de una eademque re in gloria, et submisse dicitur, si docetur, et temperate, si prædicatur, et granditer, si aversus inde animus, ut convertatur, impellitur. Quid enim ipso Deo majus est? Numquid ideo non discitur? Aut qui docet Unitatem Trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, ut res ad dignoscendum difficilis, quantum datur, possit intelligi? Numquid hic ornamenta, et non documenta quæruntur? Numquid ut aliquid agat est flectendus auditor, et non potius ut discat instruendus? Porro cum laudatur Deus, sive de seipso, sive de operibus suis, quanta facies pulchræ, ac splendidæ dictionis oboritur ei, qui potest quantum potest laudare, quem nemo convenienter laudat, quem nemo quomodocumque non laudat! At si non colatur, aut cum illo, vel etiam præ illo collantur idola, sive dæmonia, sive quæcumque creatura, quantum hoc malum sit, atque ut ab hoc malo avertantur homines, debet utique granditer dici."

§. 12.

Exempla dictionis submissæ et temperatæ ex Paulo Apostolo. Cap. XX. n. 39. et 40.

Triplicis vero dicendi generis exempla profert ex Paulo; submissi quidem ex epistola ad Galatas cap. IV. quo loco docet quid lex nova differret a veteri, removetque propositas sibi difficultates; velut illa erat: quid ergo lex data est, si ex illa non est hæreditas? Pertinet enim ad docendi munus, quod submisso genere continetur, aperire clausa nodosque solvere quæstionum, et aliis

quæstionibus, quæ fortasse inciderint, occurrere, ne per illas id quod dicimus improbetur, aut refellatur; si tamen et ipsa earum solutio pariter occurrerit, ne moveamus quod auferre non possumus. Temperatæ vero dictionis exempla item profert ex pluribus Apostoli locis, imprimisque ex epistola ad Romanos cap. XIII. veluti illud est: *nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus itaque opera tenebrarum, et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus; non in cubilibus et impudicitiis; non in contentione et æmulatione; sed induite Dominum Iesum Christum.* Cum vero temperata oratio maxime explendescere soleat elocutionis ornatu et numero, sedulo cavendum esse monet, ne divinis gravibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur.

§. 13.

Quo differat a temperato grande dicendi genus, ejusque item ex Paulo exempla. Ibid. n. 42. 43. et 44.

Grande dicendi genus quodnam sit, meminem me legisse memini, qui melius explicaverit Augustino. Hoc enim differre ait a temperato "quod non tam verborum ornatibus acceptum est, quam violentis animi affectibus: nam capit etiam illa ornamenta pæne omnia, sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo, et elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non curâ decoris assumit. Satis est enim ei

***

propter quod agitur, ut verba congruentia, non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur intentissimus pugnæ, agit quidem illis armis quod agit, non quia speciosa, sed quia arma sunt; idem ipse est tamen, et valet plurimum etiam cum rimanti telum ira facit." Ergo granditer et ornate dicit Apostolus in epistola II. ad Corinthios, cum hortatur, ut pro evangelico ministerio patienter omnia hujus temporis mala tolerentur; ubi illud quam ardens! *os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est;* et cætera, quæ longum est persequi. Nec minus granditer ad Romanos agit cap. VIII., ut persecutiones mundi hujus charitate vincantur, spe certa in adjutorio Dei. *Scimus enim* (inquit) *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt.... Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat: Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius: sicut scriptum est:* quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, ut oves occisionis? *Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque*

mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Postremo in epistola ad Galatas, tota licet submisse ac temperate scripta, locum tamen observat interpositum orationis propter animi motum omnino grandis etiam sine verborum ornatu ac sonitu: *Dies enim* (inquit) *observatis, et menses, et annos, et tempora, timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. Estote sicut et ego, quia et ego sicut vos. Fratres, precor vos, nihil me læsistis. Scitis quia per infirmitatem carnis jampridem evangelizavi vobis, et tentationes vestras in carne mea non sprevistis, neque respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me sicut Christum Iesum. Quæ ergo fuit beatitudo vestra? Testimonium vobis perhibeo, quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi. Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans? Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt ut eos æmulemini. Bonum est autem in bono æmulari semper, et non solum cum præsens sum apud vos. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Vellem autem nunc adesse apud vos, et mutare vocem meam, quia confundor in vobis.* Nulli scilicet hîc sonuere verborum circuitus; et tamen non ideo tepuit grandis affectus, quo eloquium fervere sentimus.

§. 14.

Exempla ex Doctoribus Ecclesiasticis, Ambrosio et Cypriano. Cap. XXI. n. 47. et 48.

Et hæc quidem attulit Augustinus ex Paulo exempla; nam si late ei libuisset expatiari per sacras litteras, quam longe plurima attulisset! Nec ignoratis, Alumni optimi, quam sint ea præclara, quæ simul aliquando legimus tum apud Fridericum Borromæum Cardinalem in libro I. *de sacris Oratoribus* ex Iobo sumpta, tum apud Bossuetum in *Dissert. de Psalmis* cap. II. quod est *de grandiloquentia et suavitate Psalmorum*; sed nunc in Augustino, cujus librum percurrimus, sistendum nobis est. Nam ad Ecclesiasticos Doctores quod pertinet, is Cyprianum et Ambrosium delegit, ex quibus sumeret exempla dicendi. Ac submissam quidem orationem monstrat in epistola Cypriani ad Cæcilium, in qua disputat de Sacramento calicis, solvitque hanc quæstionem, utrum calix dominicus aquam solam habere debeat, an eam vino mixtam; tum ex S. Ambrosii libro I. *de Spiritu Sancto*; quo loco rem quidem magnam agit, eum quippe demonstrans æqualem Patri et Filio, submisso tamen loquendi genere utitur, quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta postulabat. Quæ vero ex utroque doctore et ejusdem argumenti profert exempla temperatæ et grandis eloquentiæ, ea præterire nolo, ut quantum in hoc genere Ecclesiæ Patres valerent,

intelligatis. Laudat uterque virginitatem; et prior quidem in tractatu *de disciplina et habitu virginum*: *nunc* (inquit) *nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major est cura. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis, et honoris, opus integrum atque incorruptum, imago Dei respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* Atque huic exordio plane respondet finis: *quomodo enim* (inquit) *portavimus imaginem ejus, qui de limo est, sic portemus et imaginem ejus, qui de cælo est. Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat et veritas; portant disciplinæ Dei memores, justitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendas injurias mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes. Quæ vos singula, o bonæ Virgines, observare, diligere, implere debetis, quæ Deo, et Christo vacantes, ad Dominum, cui vos dicatis, majore et meliore parte præceditis: provectæ annis facite junioribus magisterium: minores natu præbete partibus incitamentum: hortamentis vos mutuis excitate: æmulis de virtute documentis ad gloriam provocate: durate fortiter, pergite spiritaliter, pervenite feliciter: tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.*" Posterior autem in libro II. *de Virginibus* temperato pariter et ornato dicendi genere professis virginibus tanquam sub exempli forma, quod moribus imitentur, proposuit.

Virgo enim erat (inquit) *non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermonibus, arbitrum mentis solita, non hominem sed Deum quærere. Nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amore virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando irrisit debilem? quando vitavit inopem? Eos solos solicita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, et figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu nihil intus latere tenebrarum, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Quid ergo exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum super naturam superfuisse, alterum ipsi naturæ pæne defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hic congeminati jejunio dies; et si quando reficiendi successit voluntas, cibus plerumque obvius qui mortem arceret, non delicias ministraret.* Observat autem S. Augustinus utrumque temperato dicendi genere usum esse, propterea quod non id agerent, ut virgini-

tatem voverent, quæ nondum vovissent, sed quales esse deberent, quæ jam vovissent. Nam ut aggrediantur animus tantum ac tale propositum, grandi utique dicendi excitari et accendi debet.

§. 15.

Grandis generis exemplum ibid. n. 49. et 50.

Sed en rursus ex utroque doctore atque in eodem argumento grandis eloquentiæ exemplum. Invenitur uterque in illas feminas, quæ naturalem formam pigmentis inficerent, easque ad pudorem grandi oratione vehementer impellit. Ergo Cyprianus: *siquis* (ait) *pingendi artifex vultum alicujus, et speciem, et corporis qualitatem æmulis coloribus signasset, et signato jam consummatoque simulacro, manus alius inferret, ut jam formata, jam picta, quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria, et justa indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim circa homines impudica, et incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis violatisque quæ Dei sunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis prævaricatio est veritatis.* Ambrosius autem: *Hinc illa* (inquit) *nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, et de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, et dum verentur maritale judicium, prodere*

suum? Prior enim de se pronunciat, quæ cupit mutare quod nata est; ita dum alii studet placere, prius ipsa sibi displicet. Quem judicem, mulier, veriorem deformitatis tuæ requirimus, quam teipsam, quæ videri times? Si pulchra es, cur absconderis? Si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura?"

§. 16.

Omnibus generibus dictio varianda est. Cap. XXII. et XXIII. n. 51. et 52.

Cæterum monet Augustinus, tunc demum excellere orationem, cum in omnibus hisce generibus, quantum congrue fieri potest, dictio variatur; et quomodo intermiscenda sint hæc tria genera præclare docet; veluti quod in grandi genere semper aut pæne semper temperata decet esse principia et ut dicantur nonnulla submisse etiam quæ possent granditer dici, ut ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, et eorum tanquam umbris luminosiora reddantur; et id genus alia. "Nam quando (inquit) prolixa est oratio in uno genere, minus detinet auditorem. Cum vero fit in aliud ab alio transitus, etiam si longius eat, decentius procedit oratio: quamvis habeant et singula genera varietates suas in sermone eloquentium: quibus non sinuntur in eorum qui audiunt, frigescere sensibus, vel tepescere. Verumtamen facilius submissum solum, quam solum grande diutius tolerari potest. Commotio quippe animi quanto

magis excitanda est, ut nobis assentiat auditor, tanto minus in ea diu teneri potest, cum fuerit, quantum satis est excitata. Et ideo cavendum est, ne dum volumus altius erigere quod erectum est, etiam inde decidat quo fuerit excitatione perductum. Interpositis vero quæ sunt dicenda submissius, bene redditur ad ea, quæ opus est granditer dici, ut dictionis impetus, sicut maris æstus alternet. Ex quo fit ut grande dicendi genus, si diutius est dicendum, non debeat esse solum, sed aliorum generum interpositione varietur; ei tamen generi dictio tota tribuatur, cujus copia prævaluerit."

§. 17.

Sublime dicendi genus quid efficiat. Cap. XXIV. n. 53.

Illud etiam observat Augustinus non semper eum putandum esse granditer dicere, cui dicenti crebrius et frequentius acclametur; hoc enim et acumina submissi generis facere, et ornamenta temperati; grande autem genus plerumque pondere suo premere voces, sed lacrymas exprimere; idque probat exemplo quod sibi contigit: "qui cum apud Cæsaream (inquit) Mauritaniæ dissuaderem populo pugnam civilem, vel potius plusquam civilem, quam *Catervam* vocabant; neque enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres, postremo parentes, ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi per aliquot dies continuos, et certo tempore anni solemniter dimicabant, et quisque ut quemque poterat, occidebat. Egi quidem

granditer quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus, et moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo; non tamen egisse me aliquid putavi cum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri, et delectari flecti autem lacrymis indicabant. Quas ubi aspexi, immanem illam consuetudinem a patribus, et avis, longeque a majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potius possidebat, devictam, antequam re ipsa id ostenderet, credidi. Moxque sermone finito, ad agendas Deo gratias corda atque ora converti."

§. 18.

Quid efficiat submissum etiam genus dicendi.
Ibid. n. 54.

Ergo quid possit in hominibus sapientis dictionis granditas, sæpe non clamor potius, quam gemitus, aliquando etiam lacrymæ, postremo vitæ mutatio monstravit. "Submisso quoque dicendi genere (ait) sunt plerique mutati, sed ut quod nesciebant, scirent: aut quod eis videbatur incredibile, crederent: non tamen ut agerent quod agendum jam noverant, et agere nolebant. Ad hujusmodi namque duritiem flectendam debet granditer dici. Nam et laudes, et vituperationes quando eloquenter dicuntur, cum sint in genere temperato, sic afficiunt quosdam, ut non solum in laudibus, et vituperationibus eloquentia delectentur, verum etiam ipsi laudabiliter appetant,

fugiantque vituperabiliter vivere. Sed non omnes qui delectantur, mutantur; sicut in grandi genere omnes qui flectuntur, agunt, et in submisso genere omnes qui docentur, sciunt, aut credunt verum esse quod nesciunt."

§. 19.

Obedientius auditur ejus vita dictioni respondet. Cap. XXVII. n. 59. et 60.

Totus mihi recitandus esse hic liber, si omnia quæ in eo complexus est Augustinus sacræ eloquentiæ præcepta, velim referre; sed tria nolo præterire quibus librum concludit. Primum est, ut siquidem Ecclesiasticus doctor obedientius audiri velit, ejus vita dictioni respondeat. "Nam qui sapienter (ait), et eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos dicendi studiosus, quamvis *animæ suæ fit inutilis*, sicut scriptum est; unde ait et Apostolus, *sive occasione, sive veritate Christus annuntietur.* Christus autem veritas est, et tamen etiam non veritate annuntiari veritas potest, idest ut pravo et fallaci corde, quæ recta et vera sunt, prædicentur. Sic quippe annuntiatur Christus ab eis, qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi." Nam et multis quidem profuturos ait doctores vel dicendo quæ non faciunt; sed longe pluribus profuturos, faciendo quæ dicunt. "Abundant enim (inquit) qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis Præpositis et Doctoribus quærant, respondentes corde suo, aut etiam, si ad hoc erumpunt, ore suo, atque di-

E

centes: quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita ut eum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, et Dei verbum quod eis prædicatur simul cum ipso prædicatore contemnant."

§. 20.

Nec bona fama negligenda; tum veritati potius quam verbis studendum. Cap. XXVIII. n. 61.

Alterum est, ut præter bonam vitam, etiam non negligat bonam famam, sed provideat bona coram Deo et hominibus; atque ut in ipso etiam sermone malit rebus placere quam verbis, nec æstimet dici melius, nisi quod dicitur verius, nec doctor verbis serviat, sed verba doctori. Hoc est enim quod Apostolus ait: *non in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi.* Ad hoc valet etiam quod ait ad Thimotheum: *noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

§. 21.

Verbis contendere quid sit. Ibid.

Neque tamen hoc postremum eo sensu dictum accipi vult, ut adversariis opugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus. "Nam ubi erit (inquit) quod Apostolus, cum ostenderet, qualis esse episcopus debeat, ait inter cætera: *ut potens sit exhortari in doctrina sana et contradicentes redarguere?* Verbis enim contendere est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alte-

rius. Porro qui non verbis contendit, sive submisse, sive temperate, sive granditer dicat, id agit verbis, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat; quoniam nec ipsa quæ præcepti finis et plenitudo legis est charitas, ullo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt."

§. 22.

Quid faciendum oratori tardioris ingenii; et an culpandus, qui a peritiore sumit conscriptum eloquium, quod ad populum proferat.

Cap. XXIX. n. 62.

Postremo cum eloquenter juxta ac sapienter dicere nihil aliud sit nisi verba in submisso genere dicendi sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus, quas audiri oporteat, adhibere, tum qui utrumque non potest, eum sapienter potius quam eloquenter dicere debere monet, atque ita conversati, si dicere nullo modo potest, ut præbeat omnibus exemplum bonorum operum, et vivendi forma sit ejus quasi copia dicendi. Denique quid ii facient, qui bene quidem pronunciare possunt, quid autem pronuntient, excogitare non possunt? "Si isti (respondet) ab aliis sumant eloquenter sapienterque conscriptum, memoriæque commendent, atque ad populum proferant; si eam personam gerunt, non improbe faciunt. Sic enim, quod utile est, multi prædicatores veritatis fiunt, nec multi magistri, si unius veri magistri idipsum dicant omnes, et non sint in eis schismata. Nec

*

deterrendi sunt isti voce Ieremiæ prophetæ, per quem Deus illos arguit, *qui furantur verba ejus.* Qui enim furantur, alienum auferunt; verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei, potiusque ille dicit aliena, qui cum dicat bene, male vivit. Quæcumque enim bona dicit, ejus excogitari videntur ingenio, sed ab ejus moribus aliena sunt. Itaque eos dixit Deus furari verba sua, qui boni volunt videri loquendo quæ Dei sunt, cum sint mali faciendo quæ sua sunt. Ergo cum boni fideles bonis fidelibus hanc operam commodant, utrique sua dicunt; et ea sua faciunt, quæ non ipsi componere potuerunt, qui secundum illa composite vivunt. Deum vero cum primis orare debent quicumque ad dicendum accedunt, ut sermonem bonum in os eorum det. Si enim regina oravit Esther, pro suæ gentis temporaria salute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret; quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo et doctrina laborat? Illi vero, qui ea dicturi sunt, quæ ab aliis acceperunt, et antequam accipiant, orent pro eis a quibus accipiunt, ut eis detur quod per eos accipere volunt; et cum acceperint, orent ut bene et ipsi proferant, et illi ad quos proferunt sumant, et de prospero exitu dictionis eidem gratias agant, a quo id se accepisse non dubitant; ut qui gloriatur, in illo glorietur, in cujus manu et nos et sermones nostri sunt."

Neminem vestrum esse arbitror, Alumni optimi, qui non sentiat operæ pretium me fecisse,

qui percurrendum una proposuerim hunc S. Augustini librum, ex eoque hæ sacræ eloquentiæ præcepta decerpserim. Illud vero nunquam ego vobis inculcare desinam, ut ne leve quid ac facile esse existimetis ad populum verba facere, atque evangelium totamque sacram doctrinam quacumque demum id ratione fiat, explicare. Nam et S. Agustinus, posteaquam ipsos triginta annos singulis dominicis hoc munere diligentissime fuisset perfunctus, dolebat sibi deesse tempus quo meditari in sacris litteris, et ad docendum se, comparare posset. Quid ergo dicemus de levitate quorumdam concionatorum, qui cum fere sint curta supellectile doctrinæ tamen vel imparati magna audacia cathedram evangelicam nec dubitant conscendere, et populo quidquid venit in buccam effundere? Ipse Navarrus, non rigidus alioqui Theologus, gravis peccati istos condemnat. Cupiebat S. Augustinus assidue meditari in sacris litteris, in quibus tamen meditatus fuerat toto vitæ suæ tempore; unde scilicet nedum æternæ salutis doctrina, ipsa quoque loquendi ratio cuique accommodatissima peti possit. Ergo quid rursus de istis circumforaneis concionatoribus dicemus, quos audire satis est, ut cuique pateat, quanta istorum sit inscitia sacrarum litterarum? Mitto veteres Ecclesiæ Patres, quos vix de nomine isti norunt; cum tamen illorum tanta copia atque præstantia sit, ut anceps hæream, quem ego legendum magis proponam. Nam quis Cypriano disertior ac fortior? quis grandior atque magnificentior Leone? Quis Gregorio ad forman-

dos mores populique captum accommodatior? Quis dulcior Bernardo? Nam Græcos quid ego commemorem, Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Basilium? qui cum disertissimis quibusque tum latinis tum græcis, Demosthene, Isocrate, Cicerone aliisque contendant, ipsos fortasse etiam exsuperent. At duos ego maxime vobis ad legendum propono; græcum quidem alterum; nempe S. Ioanem Chrysostomum, facundissimum illum concionatorem Christique præconem indefatigabilem, cui jure optimo *ob sapientissimam, et eloquentissimam sapientiam* oris aurei cognomen tributum fuisse ait Erasmus in præfatione ad ejusdem *Opera* latine a se conversa; alterum vero latinum; nempe S. Augustinum, cujus præter cæteras admodum singulares ingenii doctrinæque laudes maxima quoque laus vividæ et ignitæ cujusdam eloquentiæ fuit, qua Christi doctrinam atque sermones *mortalibus propinabat*, ut ille ait, *flammeos medullatus*; adeo ut quod præstantissimo Christianorum oratorum, qui nostra ætate floruerunt, Massilonio semel evenisse legimus, Augustino identidem eveniret, ut videlicet medio in sermone interrumperetur altis auditorum suspiriis, ac tum ipse, tum illi inter fletus et lacrymas e sacro conventu discedere cogerentur. Nolo proprias utriusque virtutes hic persequi; quod nimis longum foret; id tamen prout res postulabit, apertis utriusque codicibus facere paratus sum. Nam et sequenti schola ad isagogicum librum jam redeundum est, et quæ præcepta *de institutione privata* in eo traduntur, exponenda.

PARS II.

SECTIO I.

PARS II.

De cultu religionis externo.

SECTIO I.

De cultu divino ordinario generatim.

1.

In nullum unquam nomen, aut cœtum religionis coaluerunt homines, in quo non utantur externis quibusdam ritibus, quibus ejusdem membra gratum erga Deum animum testificentur, eique sese subjicere, ac eum adorare significent, atque alter alterum ad virtutem allicere allaboret. Neque caret externis hujusmodi signis religio christiana. Quam ob rem parochi, cui omnia, quæ ad cultum Dei attinent, maximæ curæ esse debent, officium est, invigilare, ut externus, qui Deo defertur, cultus, eidem tribuatur, ac eniti, ut obtineatur finis, ob quem sacri ritus ex majorum instituto adhibentur.

2.

Omnium religiosorum rituum finis est, ut piæ, salutaresque in hominibus excitentur affectiones, aut conserventur, ut eorum animi ad rerum cœlestium contemplationem erecti pie commoveantur, atque ad vir-

tutis studium (*ædificationem*) incitentur. Duo hinc et præcipua oriuntur officia. Unum est, ut, quoad ejus fieri potest, a cultu divino removeantur omnia, quæ hunc finem impediunt; alterum, ut omnia sic ordinentur, ut ad eum perveniatur.

3.

Sacrorum rituum finis non attingitur: si homines in exterioribus hærent, et ea, ceu otiosi spectatores intuentur, quæ in cultu divino peraguntur. Ex quo sequitur, necessum esse, ut pastor in catechesibus, in concionibus, et quandocunque se præbet occasio, edoceat suos, quid externi illi ritus, et ceremoniæ significent, quis eorum finis, qua mente ipsos adesse, quos ideo pios affectus, quæve salutaria proposita concipere oporteat.

4.

Quoniam præjudicia vero christianismo opposita a pastore sacro delenda sunt, et inter ea hoc communissimum est, quod in pretio permagno habeantur externa, atque ideo interna negligantur: manifestum est, oportere eum, suos utiliter erudiendo huic opinioni; antevertere, aut ubi jam insedit, ex animis eam evellere. Verum etiam hac in re habenda est ratio imbecillitatis humanæ, circumspecteque agendum, ne præbeatur suspicio, exteriora omnia in cultu divino a nobis rejici, et contemni.

5.

Qui sacri ritus ab ipso Christo, vel apostolis originem habeant, quive antiquissimis temporibus fuerint usitati, quid in iisdem superstitiosum, quidve rectum sit, theologia dogmatica, et moralis docent. Non prætereundum hic est non levis momenti monitum. Nem-

pe docendus est populus, esse ritus, ubique et ab omnibus receptos, a quibusdam tantum peculiariter excogitatis, et quæ in eis genuina, et ad pietatem utilia a minus probis, ineptis, levibus, puerilibusve distinguenda. Hoc modo occurritur rudis plebeculæ querelis; cum ritus aut superstitiosi, aut supervacanei abolentur.

6.

Fieri nequit, ut plebs, quæ a rebus sub aspectum cadentibus maxime movetur, salutaria cogitet, animum attentum teneat, in pietatis ardore perseveret; si publicus Dei minister in divino cultu se levem, minus reverentem, negligentem etc. exhibet. Itaque religionem qui docet, ut sacris pro dignitate operetur, sit attentus, sit reverens, sit aliis ad pietatem exemplo. In primis antem constet, eum esse virum integerrimæ vitæ, et vera virtute ornatum. Alioquin licet exterius magnam præ se ferat pietatem, simulator (*hypocrita*) et histrio esse censetur.

7.

Parochus communes religionis ritus ipse non introduxit, nec novos pro suo arbitrio ei licet instituere. Itaque introductos, et consuetos retineat, et quæ de vestibus, ceremoniis, et aliis sacrorum rituum libri, qui *rituale* vel *agenda* appellantur, præcipiunt, observet. His obtemperet, ceu certis regulis, quæ consensum in religiosis actionibus confirmant, et diversitatem, a qua graves sæpe oriuntur perturbationes, impediunt.

8.

Quidquid in rebus, quæ ad divinum cultum pertinent, vile et abjectum, quidquid immundum et sordidum, quidquid nauseam movet, religionis majestate in-

dignum est. Nec magna inde in hominum animis excitatur æstimatio; sed contemptus, nausea, tædium. Igitur danda est opera, ut in vestibus, vasisque sacris etc. mundities, modicus decensque ornatus, atque decorum semper conspiciatur.

9.

Cum pastorem universim in eam curam incumbere oporteat, ut in cultu divino omnia rite peragantur, et ad pietatem sui inflammentur, mentem etiam ad eos intendat, quibus ceu adjutoribus, vel ministris in religiosis actionibus ei opus est. Seligat, si penes eum est, bonæ famæ, bonæque voluntatis homines, aut curet saltem, ut hujusmodi homines eligantur. Ipsi quoque curæ sit, ut in sacris functionibus se, ut decet, gerant.

10.

Quodsi in exteriorem Dei cultum abusus irrepsere, profecto parochum animo prompto operam dare oportet, ut iidem tollantur, et illæ religiosi cultus formæ ac species (*illæ devotiones*) aboleantur, quæ vulgi superstitionem fovent, et religionis dignitatem imminuunt. *) In primis autem, ne qua nascatur perturbatio, 1) pastoris est, suos recte edocendo eorum animos ad hoc præparare. Nam nisi antea instruantur, abusus cum fructu non abolentur. 2) Sensim ac placide manum operi admoveat. Nam importuna vehementia exacerbat rudium animos, turbas excitat, et indocilem pertinaciam alit, et suffulcit. 3) Non pro suo arbitrio (*auctoritate propria*) quidquam aggrediatur, quod forsan sine existimationis jactura ad exitum nequeat perducere.

*) *Ut constaret, quid in hoc negotio agendum esset, augustissimo edicto* 20. *Februarii* 1782. *edito* Veronensis *episcopi pastoralis epistola ad omnes ditio-*

nis Austriacæ episcopos imitationis causa missa, *et commendata fuit.*

11.

Ut Deum una venerentur, et mutua pietatis edant exempla, christiani statis diebus conveniunt in locis religioso cultui destinatis, quæ *ædes sacræ*, *templa*, *ecclesiæ* appellantur. Christiani veteres eo tempore, quo crudeliter ab impiis vexabantur, in hominum privatorum ædibus congregabantur, loquebantur de rebus divinis, cantabant hymnos, audiebant docentium sermones, et divinæ mensæ accumbebant. Postquam religioni christianæ tandem libertas concessa fuit, publica, ubi ad Deum colendum christiani convenirent, designabantur loca, quæ *templa*, *basilicæ*, *domus oratoriæ*, *memoriæ Martyrum* etc. nominabantur. Extra hæc loca in hunc usum ab episcopo consecrata, aut benedicta, non licet, præterquam in necessitate, alicubi universalem publicumque cultum divinum celebrare.

12.

Ex publici communisque religiosi cultus fine, nempe ut ad virtutem præbeantur exempla (mutuæ *ædificationis*) manifestum est, quid de sacellis domesticis sit statuendum. Plerumque ideo christiani ab instructione cum publico cultu conjuncta abstrahuntur, fovetur eorum commoditas, præbetur occasio singularibus fucatæ pietatis formis, (*devotiunculis*) augetur supervacaneorum, et inutilium sacerdotum numerus; paucis ut dicam, privata, et clandestina Deum colendi ratio nutritur. Ut omnia exteriora in cultu divino, ita etiam locus, ubi rei divinæ vacatur, ad hoc multum conferat, ut propositus finis obtineatur. *)

*) *Concilium* Tridentinum *Sess. XXII. præcipit:*

Neve patiantur episcopi privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrificium...... peragi.

13.

Ex iis, quæ modo dicta sunt, liquet, pastori enitendum esse, ut in ecclesiis rite omnia sint ordinata, nihilque inveniatur, quod huic fini repugnet. Id autem erit; 1) si nihil in eisdem est, quod hominum prudentum oculos, animosque offendat: 2) si nihil ibi agitur, quod mentem alio avocet aut perturbet; cum oporteat, eam in se esse collectam, et in templis attentæ pietatis exempla sint edenda: 3) si ex ipsis omnia removentur, que superstitiosis, erroneis, falsis opinionibus, et mentis imaginibus (*repræsentationibus*) locum præbere possunt.

14.

Ex quo consequitur, a pastore suos esse monendos, atque docendos, ut in sacris ædibus mentis cogitationes omnes ad res divinas convertere, atque, ut christianos decet, se gerere studeant. *) Ob separata ab aliis sedilia inter opulentos dignioris loci causa inter alia sæpe contenditur, rixæque excitantur. His prævertendum est. Multa quoque inconcinna, et minime convenientia non fierent, si, ut multis locis usitatum est, scholastica juventus ab aliis, feminæ a viris sejungerentur. Offendiculo præterea sunt mercatorum intra ecclesiarum limina tabernæ, in quibus donaria, candelæ, thus et alia venduntur.

*) *Ut omnia pietatem turbantia removeantur, edicto 22. Junii 1767. edito, tympanorum, tubarumque strepitus sub consueto divino officio prohibitus, et tantum*

in supplicationibus (processionibus) *et extraordinariis ecclesiarum solemnitatibus, obtenta prius a politico, et ecclesiastico magistratu facultate, eorum usus fuit concessus.*

15.

In templis nostris imagines, et statuæ sunt, ut, qui eas intuentur, hominum vitæ sanctimonia illustrium virtutes, et res præclare ab iis gestas studeant imitari. Sed plurimum refert, ut ab iis amoveatur, quidquid superstitiosum est, et vulgus moneatur, ne quam falsam de iis foveat opinionem. Adversantur fini exteriorum religionis rituum, si internam quandam virtutem plebs illis inesse existimat, aut a peculiari quadam imagine singularem quemdam effectum sperat. Monstrose pictæ, aut sculptæ icones nauseam, et contemptum pariunt. Pueriliter vestitæ statuæ sublimem, et venerabilem religionis majestatem imminuunt. Si in iis est, quod piorum animos offendat: phantasiam imaginibus indecoris implent. Diversæ B. V. MARIÆ icones erroneam opinionem valent excitare, esse MARIAM, quæ altera MARIA potior, aut eidem præferenda sit. Imagines, quæ fictas historias exhibent, sunt picta, et in lineis telis adumbrata mendacia. Actiones fanaticæ, et virtutes spuriæ quorumdam Sanctorum in statuis, aut imaginibus repræsentatæ fanaticos etiam, et adulterinæ pietatis cultores formant. Donaria (*anathemata*), subalaria fulcra, ubera, oculi, capilli, dentes, aliaque parietibus affixa deformant templorum faciem, et intuentibus sæpe nauseam movent. Ex hoc perspicuo patet, quæ in templis icones, aut statuæ sint tolerandæ, et quem in modum vulgus hujus rei causa sit instruendus. *)

*) *Cæsareum regium edictum, editum* 9. *Februarii* 1784. *hæc habet:* "*Satis notus est, qui in multis eccle-*"*siis viget abusus, qui homines plebejos a vera ad*

»*sensualem, et falsam pietatem abducere, et acatholi-*
»*cis cavillandi materiem præbere potest. Siquidem sta-*
»*tuis et iconibus vestes singulares, indusia, tibialia,*
»*calcei induti, comæ adscititiæ impositæ, ex auro, ar-*
»*gento, et alia materia corda, pedes, manus, annuli,*
»*et similia affixa, et alia ornamenta adjecta fue-*
»*runt. Jam vero nihil optandum magis est, quam ut hæc*
»*omnia removeantur, et pro iis, quæ ecclesiis necessa-*
»*ria sunt, procurentur, aut si non desunt, loco ha-*
»*rum fœde efformatarum imaginum, et statuarum*
»*meliores comparentur. Similiter interiores multarum*
»*ecclesiarum parietes anathematibus, tabellis votivis,*
»*ligneis pedibus, fulcris, acinacibus, thoracibus, ca-*
»*tenis, et aliis hujusmodi rite non probatorum miraculo-*
»*rum testimoniis deformati potius, quam ornati; atque*
»*ideo omnino curandum est, ut hæc sine populi offen-*
»*sione paulatim amoveantur, et donaria, pretium in-*
»*ternum si habent, multo utilius ad augendum ecclesiæ*
»*peculium impendantur.*"

16.

"Numerosæ imagenes (ita fert Cæsaris constitutio »*) quæ dependent e parietibus ecclesiarum *ex voto*, »discrimine nullo amoveantur: ac imposterum nonnisi »magnis tabulis consignentur nomina, et nota anni, »dum monumento publico testari lubet de accepto be- »neficio singulari. Suspendantur dictæ tabulæ e parieti- »bus ad fores templi; ita ut cuique, ceu cultori hujus »illiusve iconis thaumaturgæ singulariter grato, inte- »grum sit curare, ut nomen suum tabulæ in templo »suspensæ inscribatur; reddita congruenti remuneratio- »ne mox in egenos distribuenda."

*) *Die* 10. *Maii* 1782.

17.

"Statuas, ac vestes imaginum quod attinet; quem-
»admodum eadem sancit augusta ordinatio : non præ-
»ferant materiam aliam, præter eam, ex qua ipsæmet
»constant; adeoque si statuæ fuerint lapideæ, ligneæ
»etc. vestes earum itidem non sint nisi ex lapide, ligno,
»etc.: quin alterius generis materia contegantur, aut
»vestiantur; quod quidem pari ratione intelligendum
»est de imaginibus.

18.

"Quantum ad expositionem reliquiarum, decrevit
»Augustissimus, *) ut eæ reliquiarum expositiones,
»quæ sunt conjunctæ cum pompa plus æquo splendida;
»aut dum reliquiæ ipsæ superiorem Sanctissimo locum
»occupant, aut in medio altari, eove loco collocantur,
»quo adorationi fidelium exponi solet Sanctissimum;
»collocatis prope candelabris duobus, pluribusve, atque
»accensis candelis; aliæque id genus expositiones ad
»justos limites revocentur.

*) *Die* 19. *Maii* 1784.

19.

»Inter alia jussit Imperator, ut ne luminibus ac-
»censis reliquiæ honorentur, aut osculandæ præbeantur.
»Illud enim efficit, ut plebs rebus externis nimium as-
»sueta ab adoratione summo Numini debita avocetur,
»ac plus æquo adducatur ad cultum rerum creatarum.
»Istud vero haud respondet notioni veri, sincerique
»cultus. Imagines præterea, globuli precatorii (*rosaria*),
»numismata, cruces, et his similia reliquiarum contac-
»tu non consecrentur; quasi, ut vulgus putat, sancti-

»tatem, ac nescio quam vim internam contrahant. Ne»que monachorum, ac virginum sacrarum monasteriis, »aut clericis secularibus liceat conficere, aut distribue»re *amuleta*, *scapularia*, et *corrigias*, quæ apta non »sunt, nisi ut nutriant abolitarum *confraternitatum* no»tionem. Tandem haud fas cuiquam sit, vere, aut »ementito benedictis candelis, rosariis, odoramentis, »aliisque id genus reculis mercaturam facere."

*) *Vid. decretum Cæsareo-regium*, *editum die* 28. *Apr.* 1784.

20.

In ecclesiarum ornamentis, in sacra supellectili, in sacris vasis, et vestibus curetur (secundum §. 2.) ut nihil, nisi quod animos moveat, quod sublime, et religione dignum sit, conspiciatur. Qui erga ecclesias liberales se exhibent, ad antiquorum ecclesiæ patrum exemplum, moneantur, ut non ideo egenos, viva Dei templa, inopia conflictari, et fame contabescere sinant.

21.

Accidere posset, ut ad iconem quamdam prodigia edi, seu *thaumaturgam* illam esse rumor in vulgus spargeretur. Vir prudens eo in casu profecto credulum se non facile præbebit. Nisi ab initio statim caute et prudenter, ut decet, agitur, et si fama de illa imagine emanavit latius, difficile est, quæ hinc oriuntur, absona impedire. Itaque statim ac ante omnia prudenti modo ex hominum conspectu removeatur, et protinus civili, et ecclesiastico magistratui, cujus est, quid ea in re agendum sit, præcipere, id indicetur.

22.

Populus christianus ad Deum colendum dominicis,

festisque diebus congregatur. In iis christiani, laboribus liberi cum sint, rebus divinis vacant, mentemque iisdem pascunt. Qua ratione hi dies religioni consecrandi sint, pastoris est, edocere populum, generatimque curam gerere, ut illa evitentur omnia, quæ christianorum pietatem turbent, aut impediant. Habent in hanc rem multa edicta Cæsarea, *) quæ eum, adversus conquerentium fremitus, tuentur.

*) *Ita præter alia musici in cauponis strepitus tempore divini cultus prohibiti sunt, et ex edicto* 17. *Jan.* 1772. *ruri* (in pagis) *post horam tertiam, in civitatibus demum post horam quartam modos musicos facere licet. Ex edicto* 13. *Octob.* 1772. *et* 7. *Maii* 1775. *vetiti sunt omnes labores serviles; præsertim cum currus mercibus onusti adveniunt. Licet tamen iter agentium sarcinas destinatis ad hoc negotium bajulis veredariis curribus imponere, aut asportare. Omnis præterea mercatura* (*negotiatio*) *diebus dominicis, et festis prohibita est. Ruricolæ tamen excipiuntur, quibus conceditur edicto* 5. *Julii* 1773. *alimenta pernecessaria vendere ante publici cultus divini initium, nullo modo sub eodem. Annuæ nundinæ*, ecclesiasticæ, *hebdomadales quæ incidunt in diem dominicam, aut festum sub præcepto, ex edicto* 14. *Jul.* 1770. *die profesto* (operario) *proxime antecedente vel subsequente habeantur. Quodsi nundinæ per dies plures agi solent, et ob dies dominicos vel festos negotiatio intermittenda est, tot postea diebus profestis continuantur, quot antea fuerat cessatum. Ex edicto* 3. *Jul.* 1773. *declaratur, non esse vetitum, sed permitti, ut pecudes diebus dominicis, et festis pastum agantur, tantum curandum esse, ut, quorum ea pecora sunt, aut qui ea custodiunt, alternis vicibus in illis diebus sacræ instructioni intersint.*

23.

In edicto 1. Nov. 1771. descriptus est numerus dierum festorum, et sublatorum, et retentorum. Universe ex edicto 13. Sept. 1771. non licet ullum ex sublatis festis, preter eum, qui honoribus, ac memoriæ regionis Patroni dicatus est, solemniter celebrare, neque in eodem e cathedra populum ad divinum officium invitare. *)

*) *Edicto 1. Jan. 1782. demandatum est curatoribus animarum (intentata temporalium proventuum jactura, negligentes si fuerint) ut populum christianum, data quavis occasione probe nitideque edoceant, multo esse Deo acceptius, diebus festis ipsiusmet ecclesiæ auctoritate abrogatis, strenuam navare operam laboribus manuum, quam se mancipare inerti otio, prætextu celebrationis diei festi. Ut autem altius in populi animos hæc penetrent, curandum viris ecclesiasticis, ut bonis exemplis eam in rem præeant. Quapropter parochis omnibus injungitur, ut hisce diebus domesticos suos modo* prudenti *ad labores adigant.*

24.

Designatis pastoribus non alia ex causa desinitus etiam locorum ambitus est assignatus, nisi ut recte, et ex ordine cuncta peragantur, iique suorum indolem, mores, ac facta probe nosse valeant. Itaque a recto ordine, et a fine factæ dispositionis alienum est: si parochiani sine causa justa rei divinæ in ecclesiis parochialibus non vacant; sed ex causis levibus ad alia loca se conferant. In memoriam revocentur, quæ Parte I. Sect. I. §. 3. fuerunt dicta. *) Quam ob rem suos moneat parochus, ut divino officio in parochialibus templis intersint. Imprudenter tamen, et indecenter age-

ret, si eos importune et vi ad hoc vellet adigere. **) Corpore tantum et coacte adesse, nihil prodest.

*) *In edicto* 2. *Martii* 1783. *hæc habentur: Multi homines ruri degentes raro parochiales ecclesias, quibus adscripti sunt, adibant; sed ad encænia, et loca sacris peregrinationibus celebria concursabant, non animi pietate; sed nundinandi studio impulsi: illic negotiabantur, et merces contra augustissima edicta venum exponebantur. Quidam administratores, quos oportuisset hos abusus impedire, sibi subjectos diebus dominicis et festis in grammatophylacia* (cancellarias) *vocabant, cum, ut augustissimis decretis obtemperaretur, ii debuissent invigilare, et non permittere mercatoribus his diebus ad nundinas cum curribus abire, et sine impedimento pro lubitu negotiari, ut homines in parœciæ suæ ambitu facilius retinerentur, pastoris voce remedium afferretur ignorantiæ, abusus extirparentur, et mores emendarentur.*

**) Parochi, *dicit concilium Trid. Sess.* 23. moneant eumdem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem dominicis, et festis majoribus accedant. *Et de Reform. cap.* 4. moneatque episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.

25.

Nequid vero parochianos, quo minus cultui divino in sua ecclesia intersint, omnino impediat, aut difficile, vel molestum ipsis sit, accurandum est, ut opportuno tempore rei divinæ initium fiat, finiaturque. Igitur si universe divino cultui certa hora præstituta est, eodem momento temporis adsit; sin vero penes eum est, horam præfinire, non quod sibi, sed quod communita-

ti tempus commodum sit, spectet. *) Universim id studeat, ut eâdem semper horâ cultus divinus, ante et post meridiem diebus festis peragatur, ut parochiani ideo negotia sua rite disponere queant, et obire.

*) *Edicto augustissimo die* 7. *Dec.* 1784. *cautum est*, *ut vicini parochi*, *atque ita dicti* capellani locales, *ii præsertim*, *quibus subsidio non sunt cooperatores*, *inter se conveniant de opportuna distributione horarum*, *quibus res divina diebus dominicis*, *ac festis agenda est atque disponenda cum in modum*, *ut communitates*, *quin ædes habitatoribus vacuas relinquere cogantur*, *alterne partim in sua*, *partim in vicina parochia cultui divino adesse possint etc.*

26.

Olim cum exiguus esset christianorum numerus, hora ab iisdem statuta, aut dato quodam signo ad Deum colendum conveniebant. Postea pulsato ære campano convocabantur. Hic est primigenius campanarum usus. Posterioribus vero temporibus, cœlo tonante, eædem pulsatæ monebant christianos, rogandum esse Deum, ut, quæ inde nasci possent damna, propitius averteret. Qua ex re orta est opinio, huic æri revera inesse internam virtutem, quæ horridæ tempestatis vim frangeret, aut arceret. Verum usus docuit, æs pulsatione motum fulminis ignes attrahere, et periculum augere; tantum abest, ut fœtas fulminibus nubes dissipet. Quam ob rem, partim ad hoc de interna pulsatarum campanarum virtute præjudicium tollendum, partim quod revera tentatur Deus, si primo adhibetur remedium, quod vi naturali cœlestem ignem advocat, et postea desideratur, ut Deus eodem remedio fulminis ictum avertat, hac nostra ætate campani æris pulsus, dum cœlum tonat, sublatus fuit. Animarum pastoribus edicto cæs. 26. Nov. 1783. mandatum fuit, ut huic inter-

dicto accurate obediant, plebemque de salutaris hujus mutationis utilitate edoceant.

27.

Constitutum ad divinum cultum tempus in diversis locis diversum est; in nostra urbe, uti constat, est præfinitum. Quod multa, quæ indecora, aut illicita sunt, possunt fieri, cum homines obscura caligine ad res divinas conveniunt, cultus divinus neque ante solis ortum neque post occasum peragatur. Ex edicto 14. Maii 1782. omnes sacri cultus species (*devotiones*) quæ dubiæ lucis, crepusculi vel diluculi tempore habebantur, abrogatæ fuerunt.

28.

Quædam etiam singulares religiosi cultus species (*devotiones*) in quibus extra publicum, et ordinarium divinum cultum, sponte electæ precationes clara voce recitantur, aut hymni cantantur, paulatim homines a divino in parochialibus ecclesiis officio avocant, et proclivitatem ad singularia confirmant. Hac etiam occasione multa superstitiosa, multi abusus, facillime irrepunt. Prudens itaque animarum pastor hæc pietatis genera, ubi ea invenit, prudenti modo abolere, et ubi promptæ sunt irrepere, impedire sataget.

29.

Ad solemnem, publicumque Dei cultum, ut apud nos more receptum est, tria præcipue pertinent: 1) instructio, sive publici de religione sermones, 2) missæ sacrificium, 3) aliæ publicæ preces, et cantiones.

30.

Ad instructionem universim pertinent duo concio-

num genera; conciones, quæ matutinæ appellantur, quæ mane ante vel post divinum sacrificium, vel sub ipso habentur; tum concio secunda, et catechizationes publicæ.

31.

De concionibus fusius actum fuit in parte prima. Hic tantum monemus, concioni matutinæ plerumque interesse inferius hominum parochiæ adscriptorum genus, scilicet famulantes et alios. In his concionibus explicatur evangelium. Part. I. Sect. II. §. 122. etc. "Cum ad instruendos ruti habitantes homines, ait edic-„tum 16. Julii 1733. eos præcipue, qui pecora alunt, „necessarium omnino sit, ut diebus dominicis, festis-„que post missam matutinam (*primam*) evangelium, „ut ubique fere fieri solet, addita brevi doctrina mora-„li ab omnibus animarum curam gerentibus diligentis-„sime explicetur, hisce mandatur *Consistorio*, ut ubi „hæc explicationes nondum usitatæ fuerunt; a subjectis „sibi parochis fieri curet, atque ideo sæpius et magno-„pere eosdem moneat."

32.

Concio secunda passim e cathedra post missam solemnem, ut vocant, habetur. Si consuetudo alicubi ita fert, ut sub ipso sacro post evangelium verba ad populum fiant, ea, quippe antiquitati consentanea, improbanda non est. Post concionem consuetæ, aut prescriptæ precationes publice recitantur. Ante vel post concionem id observatur, quod augustissimum edictum 19. Jul. 1782. præcipit, "nempe ut edicta cæsareo-regia „populo in ecclesia congregato, quæ ad eum directa, „et ad eum attinent, nulla habita objectorum ratione e „cathedra publice promulgentur. Ex edicto 26. Aug. „1782. duntaxat laicis promulgatio ante templi fores in

»iis casibus permittitur, quando de lege criminali agi»tur, e cujus violatione pœnæ loco aut mors, aut san»guinis effusio sequitur." *)

*) *De cathechizationibus, quæ fiunt in ecclesia, vid. Part. I. Sect. II.* §. 83.

33.

Quod ad missæ sacrificium attinet; quæri potest, quoties parochum rem divinam facere oporteat. Quoniam populus diebus dominicis, festisque divino sacrificio interesse debet, necessario etiam in parochiæ ambitu divinum hoc sacrificium offerendum est. Interea etiam multi christiani diebus non festis eidem cupiunt interesse, ideo hac in re pastor, nisi quid impediat, iisdem gratificabitur. *) Cum autem, si tantum de missa sermo est, haud magni referat, utrum hic, an ille hostiam cœlestem immolet, satis patet, necesse non esse, ut illis diebus ipse parochus sacris operetur. Bis eadem die eidem sacerdoti divinam hostiam offerre non licere, constat. Nimis longum foret, de modo missam celebrandi, et de ceremoniis in ea adhibendis disserere. Satis copiose de iis agunt ecclesiæ præscripta, quæ *rubricæ* appellantur.

*) Curet episcopus, *ait concilium Tridentinum*, ut sacerdotes saltem dominicis, et festis solemnibus, si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut muneri suo satisfaciant, missas celebrent.

34.

Ad missam celebrandam necessariæ sunt sacræ mensæ, sive altaria. Quales has esse oporteat, multa præcipiunt *rubricæ*. De earum exornationibus observan-

dæ sunt regulæ (§§. 8. 13. 15.) præscriptæ. Imaginum multitudo, quæ piæ præsentium mentes alio abducit, puerilia ornamenta, ingens ardentium cereorum numerus, et alia id genus majestatem religiosarum actionum nil juvant. In seculo decimo tertio quibusdam altaribus affixum fuit hoc privilegium, ut quoties in eisdem cœlestis hostia immoraletur, toties anima quædam e piacularibus flammis ad cœli gaudia transferretur. Sed nunc de his altaribus, quæ *privilegiata* dicuntur, alia apud nos est opinio. *)

*) *Edictum Cæsar. die 7. Aug.* 1787. *inscriptionem*: altare privilegiatum, *penitus deleri jubet.*

35.

Prolixe hic de missis disserere liceret: si in earum nomina, et preces, e quibus constant, inquirere, eaque expendere vellemus. Inventa fuerunt varia missarum genera; multa etiam postea iterum abolita. Huc pertinent missæ, quas *siccas* nominarunt, quæ sine oblatione, consecratione, in mari celebrabantur in navibus, vel in venatorum gratiam, quibus non vacabat, aut libebat, missæ integræ adesse. Quare etiam missæ *nauticæ*, *venatoriæ* dicebantur; *) interdum etiam pro defunctis, aut dum puerperæ in ecclesiam introducebantur. Idem etiam dicendum de missis copulatis (coagmentatis) quæ nominabantur *bicipites*, *bifaciatæ*, *trifaciatæ*, *multifaciatæ*, **) inventæ a sacerdotum avaritia.

*) Thiers *Traité des superstitions*, *qui regardent les sacremens. Liv. IV. Chap.* 2.

**) *Has* Durandus *hunc in modum describit*: Quidam incipiunt missam de die, celebrantes eam suo ordine usque ad offerendum: postea incipiunt aliam missam, et

eam cantant usque ad eumdem locum; et idem faciunt plures, si volunt, et incepta missa vivorum, incipiunt quoque missam mortuorum, eam prosequentes usque ad eumdem locum; et exinde procedentes dicunt tot secretas, quot missas inceperunt, semel tantum canonem dicentes, et consecrantes, et in fine tot orationes dicunt, quod officia missæ inceperunt. *Lib. IV. Rational. cap. 1. num.* 24.

36.

E diversis peculiaribus (*propriis*) missis eæ tantum retinendæ sunt, quæ communi ecclesiæ usu et legitimo cujusque diœcesis præscripto probatæ esse declarantur. *) Novarum inventionum fontes hic plerumque sunt levitas, et imprudentia, comites sunt opiniones superstitiosæ, unde ad inordinata, minusque recta digressiones oriuntur. **) Universe secundum ea, quæ diximus, rejiciendæ sunt missæ illæ, 1) quæ precationes (orationes) superstitiosas, religione indignas complectuntur; 2) quæ historiæ veritate non nituntur; 3) quæ superstitiosis ceremoniis, et adjuntis conjunctæ sunt. ***)

*) *Confer. de quibusdam missarum improbandarum generibus.* Thiers *Traité des superstitions. Chap.* 5. *etc.*

**) Contra ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. *S. Bernardus.*

***) *Ita concilium* Trid. *episcopis præcipit, ut missas definito numero et certo cereorum, et* candelabrorum *numero celebrandas prohibeant. Sess. XXII. decreto de obs. et evit. in celebr. miss.*

37.

Ad quæstionem, utrum in quibusdam missæ partibus verba clara voce sic pronuntianda sint, ut præsentes ea audire possint, nec ne, respondeo: cum populus peregrinam linguam, licet voce contenta recitentur verba, non intelligat, hanc rem ita esse comparatam, ut receptæ consuetudini, vel voluntati Superiorum illius diœcesis, in qua munus obitur, obtemperandum esse mihi videatur.

38.

Longe majoris momenti est, quod concilium *Trid.* præcipit, ut quæ in missæ sacrificio geruntur, aut dicuntur, ea populo exponantur. Cum enim una ex parte publico divino cultui generatim hic propositus sit finis, ut christiani ad pietatis studium simul accendantur, eorumque animi ad rerum cœlestium contemplationem excitentur; ex altera vero parte missa celebretur ea lingua, quam vulgus non intelligit: animarum curam gerens suos de sacra hac actione edoceat, ne, rei sacræ dum intersunt, aut fere nihil salutare cogitent, aut animo liberius evagentur. Cantiones, quæ, ut mandatum fuit dum sacrificium hoc peragitur, cantari solent, ex parte medentur malo.

39.

Quod in omnibus religionis actibus servandum esse decorum, et dignitatem diximus, id in primis in hoc sacrificio nullo modo negligendum est. Itaque evitentur omnia ob quæ fideles de sacrosancta hac actione humiliter, et abjecte sentire possint. Quidam nimium festinant; alii ad aram cursitant; alii in movendo corpore sunt celerrimi; aliqui oculorum obtutu immodesti: ali-

qui anxii, frigido sudore perfusi verba pronuntiant; alii aliis modis peccant.

40.

A primis temporibus mos invaluit, ut dona (*oblationes*) quædam adferrentur in ecclesiam; cujus consuetudinis reliquiæ adhuc supersunt. Veteres christiani afferebant vinum, et panem; et canon inter ita appellatos *apostolicos* tertius vetat fidelibus, præter vinum, panem, oleum, thus, quidquam offerre. *) Nunc nummi passim offerentur. Quantum ad consuetudinem deferendi dona ad altare, continua offerentium serie, colligendique nummos tinniente sacculo; quodque attinet gazophylacia, cistas, pyxides, receptacula, excipiendis offerentium nummis destinata, constituta in templis, quæ visere est locis multis prope singulas fere aras in memoriam Sanctorum erectas, quæque præferunt, varii generis inscriptiones, ut appareat, quibus usibus ea dona deputentur; sanxit imperator, **) "ut ne sacculi »(cujusmodi institutum hic ibi obtinet) colligendæ »stipis causa unquam circumferantur tempore concionis, »solemnis sacri, et ne quidem tempore missæ privatæ; »sed solum ante concionem: 2) ut continua offeren»tium serie (ubi usus id hucusque ferebat) dona non »deferantur ad altare, nisi dominicis diebus; et qui»dem, ne populus in pietate turbetur, semper ante ini»tium misæ solemnis. 3) Dum id fit; ne ulla habeatur »ratio prærogativæ, sive prioris loci in eundo; neque »præbeantur offerentibus ardentes cerei; neque, velut »secus usuvenit locis multis, dona alia, nisi nummi »offerantur. Res, quæ usu consumuntur (*naturalia*), im»posterum ad ædes sive pastoris sacri, sive æditui, »prout vel huic vel illi destinatæ fuerint, perferantur. »Nec, quæ in templo offeruntur, dona imponantur »aræ; sed pyxidi inferantur, collocandæ ad latus alta-

»ris. 4) In singulis ecclesiis præter gazopylacium illud, »quod excipiendæ stipi in levamen egenorum destina»tum est, et ubi necdum obtinent, erigendum est: nul»la gazophylacia alia, pyxides, aut oblationum recep»tacula cujus demumcunque generis permittantur. 5) »Tandem *processiones sacrificiales* prohibentur, dum »nuptiæ, baptismus, exsequiæ, atque id genus alia in »ecclesiis celebrantur."

*) Siquis episcopus, vel presbyter præter Domini de sacrificio ordinationem, alia quædam ad altare attulerit, mel, vel lac, vel pro vino siceram, vel confecta, vel aves, vel animalia, vel legumina, præter ordinationem, deponatur, præterquam nova legumina, vel uvam, tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminaria et incensum tempore sanctæ oblationis.

**) *Edict. augustiss.* 24. *Junii* 1785.

41.

Pars publici cultus divini etiam sunt preces publicæ, quas congregatus populus clara voce simul fundit. Haud monito hic est opus, non fas esse parocho, novas pro suo lubitu precationes introducere. Quodsi inconcinnas (minus convenientes) in sua parochia in usu esse intelligit; oportet id Superioribus indicare, et ut mutatio fiat, petere. Id etiam ipsi curæ sit, ut sacræ hæ preces ad omnium utilitatem, et ad prodendum pietatis exemplum, utpote propositum earum finem, intelligenter, ordinate, distincte, et tarde recitentur. *)

*) *Ut omni superstitioni obsistatur, ex edicto Cæsareo* 16. *Octobr.* 1782. *omnes denuntiationes* (promulgationes) *publicarum* devotionum, *indulgentiarum, so-*

lemnitatum cujuscunque fraternitatis librorum censoribus tradendæ sunt ante, quam typis mandentur, sive jam ante typis fuerint evulgatæ, sive nunc primum sint evulgandæ.

42.

Ex parte hæc etiam attinent ad publicos hymnos, et cantiones ecclesiasticas. Ideo iis templa resonant, ut christianis una congregatis maximi momenti dogmata in memoriam reducantur, ut animos attentos teneant, ut eorum voluntates ad salutaria inclinentur. Huic scopo minime respondent, 1) si forte principia minus recta continent: 2) si turgent tumidis, peregrinis, mysticis phrasibus, quas non intelligunt, in quorum usum compositæ sunt: 3) si ineptis inversionibus, absonis rhytmis, fœdis solœcismis pias prudentium mentes, quæ sacris cantilenis excitandæ, et inflammandæ essent, conturbant. Huc pertinent multæ regulæ, quas de docendi munere dedimus. Hac etiam in re parocho a diuturna consuetudine recedere, fas non est. Si qua obscura in his cantionibus sunt, ejus officium est, illa, cum de religione sermonem habet, explicare, et suos docere modum, eæ dum cantantur, salutaria cogitandi. In hunc finem versus quosdam ex his ubique receptis cantionibus ecclesiasticis ad confirmandam doctrinam, de qua in concionibus et catechizationibus verba fiunt, in medium afferre potest.

43.

Ad cultum divinum magis provehendum fraternitates, seu sodalitia sub variis nominibus fuere instituta. Sensim etiam variæ labes, varii abusus irrepsere, qui ut tollerentur, diversis etiam temporibus opera data fuit. Tandem existimatum est, fore utilius, ut omnes hæ fraternitates in unam coalescerent; quæ sub titulo

sodalitii actuosæ erga proximum charitatis pro pauperibus omni ope destitutis fuit instituta. Inter alia etiam ista huc pertinentia monita ocurrunt: "Confirmationis „bulla Romæ non petatur; indulgentiæ petantur ab Or„dinario (episcopo.) Non eligantur Divi tutelares; sed „salvator Jesus Christus sit tutelaris patronus. Annua „congregatio, festumque eucharisticum in anniversario „institutionis die, si in diem dominicum cadit, si non, „die dominica proxima habeatur; pauperes preces in „*Buquojensis* comitis instituto præscriptas recitare ju„beantur; ut egeni publico convivio excipiantur, neque „præcipiatur, neque interdicatur; sed arbitrium sit pe„nes fratres; animarum curam habentibus mandetur, ut „non pro quibusdam speciatim, sed universe tantum pro „vivis, aut defunctis missas, dum stipendia sunt, in „usu celebrent; sodalibus singulares prærogativæ non „concedantur; permittatur cuique petenti rationum li„bros inspicere, indices (*specificationes*) et totalis su„pellectilis vestimentorum, inter pauperes distribuen„dorum; præterea indices communes, schedulæ mens„truæ, et hebdomadales dominis fundi (territorii) a „parochis, et egenorum curam habentibus patribus tra„dantur; album vero, seu matricula in singulis paro„chiis retineatur."

*) *Edictum augustissimum* 22. *Maii* 1783.

44.

Animarum curam habens semper se virum commodi sui minime studiosum exhibeat; neque ullam se lucrandi cupidum esse, aut fœnerandi, speciem præbeat. Ideo universe omnia, quæ ad cultum divinum attinent, præstet gratis. *) Cum vero ei mercedis loco diversa, ut appellant, *jura stolæ*, ceu stipendii, quo sustentandus est, pars sit assignata, hac in re accurate obser-

vet sic dictum stolæ ordinem, atque alia huc pertinentia edicta. **)

*) *Archiep. Vienn. diœc. liber ritualis pag.* 6. *ita habet*: Illud porro diligenter caveat, ne in sacramentorum administratione aliquid..... exigat, aut petat etc.

**) *Edicta augustissima* 16. *Oct.* 1767. 27. *Jan.* 1781. 25. *Jan.* 1782. 24. *Oct.* 1783.

SECTIO II.

De diversis actionibus ad cultum divinum pertinentibus.

1.

Ad peculiares actiones religiosas (sacras) referimus illas, quæ non semper, et ordinarie publici divini cultus tempore in ecclesia peraguntur, et quas non omnes, qui eidem intersunt, participant. Huc spectant administratio sacramentorum, benedictiones, aliique ritus.

2.

Non opus est, ut sacramenta a pastore administranda esse demonstremus. Sunt illa consideranda, ceu remedia, quæ virtutem et felicitatem hominum adjuvant provehuntque ; et ut utrumque assequantur, ad hoc omnes cogitationes, omnia consilia conferre decet eum, qui curam animarum habet. Igitur quando ad sacrum quoddam negotium vocatur, non tantum commoditatem suam, negotiaque alia huic officio longe posthabeat ; sed etiam, ut sanctus CAROLUS *Borromæus* præscribit, *) hortetur suos, ut ipsum, ipsius auxilio indigentes, nulla habita cujuscunque incommoditatis, aliarumque rerum ratione, protinus vocent. **)

*) Acta ecclesiæ Mediolanensis. *Part.* 4.

**) "Quacumque, *verba sunt ritualis diœcesani*

»*Vienn.* diei, ac noctis hora ad sacramenta ministran»da vocabitur, nullam officio suo præstando, præsertim »si necessitas urgeat, moram interponat. Ac propterea »populum sæpe, prout se offerit occasio, præmonebit, »ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum »advocet, nulla temporis aut cujuscumque incommodi »habita ratione."

3.

Quæri potest, an non exceptio tum locum habeat, quando vitæ impendet periculum. Cum sermo nobis fuit de invisendis ægrotis, asseruimus, oportere animarum pastorem, æque ac milites, animo esse impavido; idem nunc asserimus. "Ecclesiarum antistites in suis, quæ nobis reliquerunt, scriptis asseverant, fas non esse sacro pastori, diris morbis grassantibus gregem suum deserere. *) At in istiusmodi casibus sæpius alii, quibus firmior valetudo, animus magis intrepidus et præsens est, ad munus hoc obeundum a Superioribus destinantur."

*) *Concilium* Mediol. V. *Part.* 2. *Constitutionum de cura pestilentiæ sub Tit. de præsentia, et constantia omnium etc. Et* S. Carolus *in sermone habito, cum pestilentia* Mediolani *sæviret*: Patres nostri, *inquit*, Dei spiritu incitati, grassante peste, mortis pericula adierunt, et ita faciendum docuerunt; quemadmodum ex veterum scriptis jussu nostro collectis, editisque satis apparet.

4.

Animadvertendum hic denuo est id, quod generatim de actionibus ad cultum divinum pertinentibus diximus, eas scilicet virtutis exempla prodendo rite, ut decet, esse obeundas. Animarum curam habens, ut præcipiunt rituales libri *Romanus*, et *Viennensis*, *)

omnia verba attente, distincte, pie (*devote*), clara voce pronuntiet, ceterasque ceremonias, et ritus ita decenter, et serio peragat, ut præsentes attentos animos præbeant, et ad rerum cœlestium contemplationem excitentur.

*) "Dum sacramentum aliquod ministrat, singula "verba, quæ ad illius formam, et ministerium perti"nent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pro"nuntiabit." *Rit. pag.* 5.

5.

Veræ pietati perniciosissimum præjudicium est, quod sæpe illi maxime pii existimantur, aut se esse existimant, qui frequentius ad sacramenta accedunt. Pastor præjudicio huic, quandocunque potest, obnitatur; quin eos ab usu ipsomet imprudenter deterreat. Doceat vero, quæ adhibenda sit præparatio, si fructum ex divinis his mysteriis percipere cupiant. Fieri hoc potest in catechizationibus, in concionibus, aliisque occasionibus, aut etiam, si nihil est, quod impediat, dum sacramenta conferuntur.

6.

Si christiani verborum, quæ in sacramentorum collatione ex ecclesiæ præscripto lingua peregrina pronuntiantur, significationem non intelligunt, adstant ceu spectatores otiosi, eorumque animi piis affectionibus vacui remanent, quæ actionibus sacris excitandæ sunt. Itaque etiam secundum Sect. I. §. 3. diligenter edocendi sunt. *)

*) In sacramentorum administratione, *dicit noster rituum liber diœcesanus pag.* 4. eorum virtutem, usum, ac utilitatem, et ceremoniarum significationes,

ut concilium Tridentinum præcipit, ex sanctorum patrum, et catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit. *Legatur caput XIV. epistolæ prioris* S. Pauli *ad Corinthios. Fundamentum hujus doctrinæ perspicue illic invenire est.* "*Quæ sine* »*anima sunt*, (inquit apostolus inter alia vers. 7. seqq.) »*vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinc*»*tionem sonituum dederint, quomodo scietur id, quod* »*canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam* »*vocem det tuba; quis parabit se ad bellum? Ita et vos* »*per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis:* »*quomodo scietur id, quod dicitur? Eritis enim in aere* »*loquentes. Tam multa, ut puta, genera linguarum* »*sunt in hoc mundo: et nihil sine voce est. Si ergo ne*»*sciero virtutem vocis; ero ei, cui loquor, barbarus: et,* »*qui loquitur, mihi barbarus...... Nam si orem lingua,* »*spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est.* »*Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente: psallam* »*spiritu, psallam et mente. Ceterum si benedixeris* »*spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen:* »(*fiat*) *quoniam, quid dicas, nescit..... Sed in Ecclesia* »*volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios ins*»*truam, quam decem millia verborum in lingua* incog»nita. *Fratres, nolite pueri effici sensibus; sed malitia* »*parvuli estote. Sensibus autem perfecti estote*, similes »viris...... *Si ergo conveniat universa ecclesia in unum,* »*et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ,* »*aut infideles: nonne dicent, quod insanitis?*"

7.

Hic a theologis de mente, sive *intentione*, qua sacramenta administranda sunt, prolixe disseritur. Dispertiuntur eam in *habitualem*, *virtualem*, *actualem*, multumque de *interna* et *externa* disceptant etc. Id tantum nos dicimus, actionem hanc, ut alias graviores,

dicere: v. gr. *In nomine Patris omnipotentis*, *Filii sapientis*, *Spiritus Sancti paracliti*; vel: *Ego Petrus te baptizo*; et his similia. ***) In publico et solemni baptismo multæ adhibentur ceremoniæ in rituale diœcesano accurate descriptæ.

*) "Baptismus licet fieri possit aut per infusionem »aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; »primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt »in usu, pro ecclesiarum consuetudine retineantur; ita »ut trinam ablutione caput baptizandi perfundatur, vel »immergatur in modum crucis uno, et eodem tempore, »quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens, »et verba pronuntians." *Rit. Vien. pag.* 12.

**) Quoniam baptismi forma, his verbis expresa: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, omnino necessaria est; ideo eam nullo modo licet mutare; sed eadem verba uno, et eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda sunt. *Rit. Vien. pag.* 11.

***) *Vid.* Thiers *Traité de superstitions, qui regardent les sacremens. T.* 2. *ch.* 3.

12.

Aquam oportet esse naturalem. Aquam rosaceam, aut alias arte effictas adhibere non licet. *) Necessitate urgente, secundum regulam generalem sumitur quidquid ad manum est; et si tantum, aquam e se verisimile est. Extra necessitatis casum aqua sumenda est, quæ Sabbato Sancto, aut ante Pentecosten consecrata fuit. Quæ si diminuitur, alia immiscetur; penitus si deficit: denuo alia consecranda est. **) Habeatur ratio valetudinis in infante. Itaque aqua consecrata calefiat, aut

permisceatur calida etiam non consecrata; si illa nimis frigida, aut congelata est.

*) "Intelligat parochus, cum hujus sacramenti materia sit aqua vera, ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse. Aqua vero solemnis baptismi sit eo anno benedicta in sabbato sancto Paschatis, et sabbato Pentecostes, quæ in fonte mundo nitida, et pura diligenter conservetur: et hæc, quando nova benedicenda est, in ecclesiæ, vel potius baptisterii sacrarium effundatur." *Rit. Vien. pag.* 9.

**) *Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minore tamen quantitate. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat.... Sed si qua conglaciata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis, non benedictæ, calefacere, et admiscere aquæ baptismati in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti; ne noceat infantulo. Ibid. pag.* 10.

13.

Hæc formula aut sine ulla conditione profertur, aut additur quædam conditio; e. gr. *Si capax es*, aut: *Si nondum es baptizatus.* Omnino quidem haud opus esset, conditionem verbis exprimere; at consuetudo ita fert, et rituales libri id desiderant. *) *Tridentini* tamen concilii catechismus, et liber ritualis archidioeceseos *Viennensis* monent, non leviter; ne absque omni causa conditionem esse exprimendam. Sacro fonte iam ablutos iterum baptizare, ut constat, nefas est. **)

*) Cum baptismum iterare (*ita decernit Rit. Vien.*

pag. 11.) nullo modo liceat, si quis sub conditione sit baptizandus; ea conditio explicanda est hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.* Hac tamen conditionali forma non passim, aut leviter uti licet; sed prudenter, et ubi re diligenter investigata probabilis subest dubitatio, infantem non esse baptizatum.

**) *Conc.* Lateran. *cap. Licet de baptismo.*

14.

Matris utero conclusus infans baptizandus non est. Itaque non licet, matrem infantis loco aqua perfundere. *) Si moritur mater, antequam infans prodivit, pastor, qui in hoc casu sæpe unicus est, qui recta consilia dare queat, protinus curet, ut os mortuæ tam diu apertum maneat, donec sectione facta eximatur infans, qui, si vitæ indicia animadvertuntur, baptismatis fonte lustratur.

*) "Sacramentum baptismi profecto sacramentum »regenerationis est; quocirca sicut homo, qui non vi»vit, mori non potest, ita, qui natus non fuerit, renas»ci non potest," *ait S. Augustinus Lib. II. de peccat. meritis et remiss. cap.* 2. *Et Rit. Viennense*: Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur.

15.

Hoc quod secundum sanctum AUGUSTINUM diximus, intelligendum non est de infantibus, qui nondum integre prodiverunt in lucem, et in quibus una duntaxat pars aqua tingi potest. Hac in re duplex est theologorum sententia. Alii baptismum, quocunque membro

aqua tincto, validum esse existimant; alii vero invalidum, si caput aqua nequeat perfundi. Sed ut hæc sint; præscriptum nobis est, formulam baptismi haud iterare: caput infantis aqua perfusum si fuerit; iterare autem apposita conditione jubemur, aliud membrum tinctum si fuerit. *) Secundum præscriptum ritualis *Vienn.* omnes, etiam minimi immaturi fœtus, si non evidenter sunt putrefacti, baptizandi sunt hac conditione; *si es capax* etc. **) Quoniam in hujusmodi casibus obstetrices sacro fonte abluunt, pastoris animarum est, eas probe instruere.

*) Si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur, et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus: *si non es baptizatus; ego te baptizo etc. Rit. Vien. pag.* 14.

**) "*Omnes etiam minimi immaturi fœtus, licet* »*adhuc pellicula involuti, et paucis a conceptione die*»*bus utero ejecti, si non evidenter putrefacti sunt, ut* »*et omnes molæ ab ipsis* (*obstetricibus*) *baptizentur* »*hac conditione*: Si es capax *etc. pellicula vero vel mo*»*la dissecta fœtum illum ter aqua naturali immergen*»*tes baptizent, addita hac conditione*: Si capax, et »nondum baptizatus es *etc. Quodsi animadverterent* »(*porro ait ritualis liber*) *geminos in matris utero es*»*se, prodirentque manus duæ, duove pedes, ita, ut* »*nescirent, utrum unius, an duorum infantum membra* »*essent, primo membrum unum aqua tingentes, verba* »*pronuntient; deinde etiam alterum aqua perfundant,* »*eadem verba dicentes, addita semper conditione; et* »*quidem in priori aquæ infusione dicant*: Si capax es; »*in posteriori*: Si capax, et nondum baptizatus es. *Sin*

*

„autem gemini manus vel pedes retraherent, et postea „in lucem ederentur, eos iterum baptizent sub condi-„tione dicentes: Si non es baptizatus *etc.*" *Rit. Vien. pag.* 14. 17. 419. 424. *etc.*

16.

Vivi tantum homines baptizari possunt. Igitur baptizare non licet fœtus omnis vitæ expertes, qui nascuntur, bestias, vel monstra humana forma omnino carentia. Imaginibus, amuletis, libris baptismum conferre dementia est. *) Quodsi monstrum, homo ne sit, ambigitur: baptizetur hac conditione: *Si tu es homo.* Ex capite præcipue, quid rei sit, statuitur. Liber ritualis, hic caute agendum, et vel Ordinarium (episcopum) aliosve viros rerum harum peritos (medicos) consulendos esse monet. **)

*) *Conf.* Thiers *T. 2. pag.* 51. 54. 58. 61. 64. 68. 70.

**) "In monstris vero baptizandis magna cautio ad-„hibenda est: de quo si opus fuerit, Ordinarius loci, „vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum im-„mineat. Monstrum, quod humanam speciem non præ „se fert, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, „baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te „baptizo etc.*"

17.

Si duo corpora in unum coaluerint, seu concreta sunt, explorandum, utrum unum, an plura capita, unum pectus (thoraceum) an plura habeant, et deinde decernendum, an revera duo homines sint. Tum sigillatim quisque baptizetur. Si temporis brevitas obstat: ambo simul baptizantur his verbis: *Ego vos baptizo* ect. Quodsi res incerta est, unum corpus primo nulla addita conditione sacro fonte abluitur, deinde alterum hac conditione: *Si non es baptizatus* etc.

*) "*Illud vero, de quo dubium est, unane, an plu-*
»*res sint personæ, non baptizetur, donec id discerna-*
»*tur. Discerni autem potest: si habeant unum vel plu-*
»*ra capita, unum vel plura pectora: tunc enim totidem*
»*erunt corda, et animæ, hominesque distincti; et eo*
»*casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique di-*
»*cendo*: Ego te baptizo *etc. Si vero periculum mortis*
»*immineat, tempusque non suppetat, ut singuli sepa-*
»*ratim baptizentur; poterit minister singulorum capi-*
»*tibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicen-*
»*do*: Ego vos baptizo *etc. Quam tamen formam in iis*
»*solum, et aliis similibus mortis periculis ad plures*
»*simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut sin-*
»*guli separatim baptizentur, alias nunquam licet ad-*
»*hibere. Quando vero non est certum, in monstro esse*
»*duas personas, vel quia duo capita et duo pectora non*
»*habet bene distincta: tunc debet primum unus absolu-*
»*te baptizari; et postea alter sub conditione, hoc modo*:
»Si non es baptizatus, ego te *etc.*" *Rit. Vienn.*

18.

Sacer pastor ex ritualis præscripto, commode fieri cum potest, omnes, ad quos id attinet, moneat, ut infantes quam primum in templum afferri curent: sive ob periculum jam baptizati sint, sive non. Nam in priore casu, prætermissæ ceremoniæ supplentur. Non tantum libri rituales *Romanus*, et *Viennensis*; sed multæ aliæ etiam constitutiones omnis pompæ vanitatem prohibent.*)

*) "*Quoniam in baptismo unusquisque pie, ac reli-*
»*giose pollicetur, operibus Satanæ renuntiare, ejusque*
»*pompas deserere, id parochus cum usuvenerit, popu-*
»*lum doceat, præsertim baptismi tempore moneat, non*
»*solum quomodo, et quam simplici amictu ad illam in-*

»*fons deferendus est, sed quam religiosa in Deum pie-»tate, quam humili spiritu, et quanta etiam vestitus »moderatione compatres, commatresque adesse debeant: »Ne vero ullum vel ornamentum, vel aliud quidquam, »quod mundi hujus pompam præ se ferat, adhiberi pa-»tiatur; cum minime consentaneum sit, in ipso vitæ »christianæ ingressu, statim iis rebus studeri, quibus »potissimum solemni sponsione renuntiantur.*" Concil. Mediol. V. 1579. Constit. Part. I. art. 7. *Concilium provincialem* Aquense *an.* 1585. *Tit. de bapt. sacram. Vid.* Thiers *Traité des superstitions. T.* 2. *pag.* 90.

19.

Compertum est omnibus, potestatem dandi baptismi, urgente necessitatis casu, competere omnibus. *) Solum hic quæritur, an semper, vel quando, jam domi in necessitatis casu baptizati infantes denuo sub conditione baptizandi sint. Si gravis, cur in dubium res vocetur, subest causa, secundum §. 14. responsio difficultate caret. Ceterum diversæ sunt de hac re theologorum sententiæ. Quidam asserunt, obstetrice affirmante, se omnia, quæ præscripta essent, observasse, de baptismi valore non esse dubitandum, neque verborum formulam repetendam. Alii vero existimant, his mulieribus, tum quod perturbate, ac tumultuarie pleraque in his casibus fieri solent, tum quod propter reprehensiones aut pœnas, quas timent quid egerint, sincere non fateantur, nunquam fere fidem esse habendam. Quædam constitutiones ecclesiasticæ, ut rem certam esse, prudenter credi possit, ut minimum duos testes requirunt; BENEDICTUS XIV. unum gravem (idoneum) **). Vir prudens in negotio, ubi de gravis alicujus christiani officii violatione non agitur, observat regulam generalem Sect. I. §. 7. paretque receptæ consuetudini, et iis, quæ in diœcesi sua præscripta sunt.

*) "*Legitimus quidem baptismi minister est paro- »chus, vel alius sacerdos a parocho, vel ab Ordinario »loci delegatus; sed quoties infans, aut adultus ver- »satur in vitæ periculo, potest sine solemnitate a quo- »cunque baptizari in qualibet lingua, sive clerico, sive »laico etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, »sive catholico, sive hæretico, sive viro, sive femina, »servata tamen forma, et intentione ecclesiæ. Sed si »adsit sacerdos, diacono præferatur, diaconus subdia- »cono, clericus laico, et vir feminæ; nisi pudoris gra- »tia deceat feminam potius, quam virum baptizare in- »fantem non omnino editum, vel nisi melius femina sci- »ret formam, et modum baptizandi. Quapropter curare »debet parochus, ut fideles, præsertim obstetrices, rec- »tum baptizandi ritum probe teneant, et servent.*" Rit. Vien. *pag.* 13.

**) *Concil. Aquense* 1585. Uni mulieri, seu alteri privatim baptizanti credi non debet. *Concil. Rhemense* 1583. Parochus antequam baptizet, diligenter inquirat num sit perfusus aqua, et qua, quibus verbis......de quo sufficienti duorum saltem testimonio sacerdoti constare debet. *Concil. Rothomagense* 1551. *Ebrocense* 1576. etc.

20.

Infantes exposititii more consueto plerumque baptizantur cum conditione; *) licet testimonium scriptum sit appositum. Schedulæ enim ab hominibus, quos non novimus, scriptæ fides non habetur.

*) Infantes expositi, *ita habet rit. Vienn. pag.* 15. et inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constet, sub conditione baptizentur.

***

21.

Ob quæstionem, an infantes invitis parentibus possint, debeantve baptizari, brevitate ut utar, afferam edictum augustissimum 4. Martii 1765., quod naturale parentum jus in liberos tuetur. Id prohibet, nequis Iudæorum infantes sine parentum aut tutorum consensu baptizet; nisi aut in præsentissimo vitæ periculo sint constituti; aut abdicati rejectique a suis propinquis. Quodsi baptizans, infantem aperto vitæ periculo obnoxium fuisse, medici aut chirurgi, obstetricis, aut hominis fide digni testimonio comprobare nequit, ei secundum edictum 3. Octobr. 1763. præter infantem alendi onus mulcta mille *ducatorum* fisco solvenda irrogatur, inops vero per biennium datur in custodiam, publice, aut in communitatis usum opus facere juvetur. Hoc modo commemoratum edictum duobus serius editis, uno 28. Martii 1782; et altero 31. Martii 1782. confirmatur, et illustratur.

22.

Baptizando imponitur nomen, ut admoneantur virtutum, quibus refulsit Sanctus, a quo nomen ei est. Ut multi libri rituales monent, nomina non indantur, 1) quæ soli Deo propria: *) 2) non ethnicorum nomina; **) 3) non angelorum, aut hominum, qui nunquam exstiterunt. 4) Plura, aut longam nominum seriem imponere, certo supervacaneum est; ***) foretque superstitiosum si virtus quædam iis inesse existimaretur. 5) Superstitione non caret, nomina quædam esse fausta, quædam infausta, aut infantem, quod fortis, et casti viri nomen obtineat, etiam, ut eumdem, certissime fortem, et castum fore.

*) *Liber ritualis* Sagiensis 1634. Curet parochus,

ne nomina Deo in Scripturis specialiter attributa imponi sinat. *Rothomagensis* 1640. *et Meldensis* 1645. Caveat sacerdos, ne iis, qui baptizantur, Deo specialiter in scripturis attributa nomina imponantur. *Idem præcipit Parisiensis* 1615. *et Bituricensis* 1666.

**) Curet sacerdos, (*legitur in libro rituali* Romano, *et* Viennensi) ne fabulosa, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum nomina imponantur. *Concil. IV. provinc. Mediol.* 1576. *Synodus Aquensis* 1585. *Rhemensis* 1583. etc.

***) *Conf.* Thiers *de superstition. T.* 2. *o.* 10 *n.* 14.

23.

Sunt, qui diem, quo infans salutari lavacro tinctus est, epulis et potationibus solemnem, ac festum esse velint. Convivia, quæ interdum baptizati infantis causa splendide et opipare adornantur, multorum incommodorum, malorumve causæ sunt. Ideo multæ ecclesiasticorum antistitum constitutiones ea prohibent. *) Etiam ex edicto cæsareo 14. Aprilis 1784. prohibetur abusus, post baptismi administrationem in ædibus patris infantis agenda convivia.

*) Admoneantur, *inquit synodus* Melodunensis *Tit. de sacram. in specie* omnes baptismi testes, ne in conviviis, aut ebrietatibus; sed spirituali lætitia baptismi diem celebrent. *Et secundum provinciale concilium* Mechliniense 1607. *Tit.* 4. *cap.* 9. "*Ad abolendam pravam illam consuetudinem, qua ruri præsertim post baptismum puerorum convivia non sine maximis periculis tam puerperæ, quam infantis celebrari consueverunt, mandat hæc synodus pastoribus, ut subinde moneant, et hortentur subditos, ab hujusmodi conviviis*

»ut abstineant, quod ut facilius impetrent, caveant in »primis ipsi, ne, quantumvis invitati, dictis conviviis »intersint."

24.

Consuetudo obtinet, ut a parentibus deligantur quidam, qui testium, susceptorum, sponsorum (patrinorum) munere fungantur, et quibus ea cura incumbit, ut baptizatus recte instruatur, educetur, vitamque christiano dignam agat. Parochus partim *a*) id curet, ut ad hoc munus tantum idonei secundum ecclesiastica præscripta eligantur; *) *b*) partim etiam dum occasio est, eos de officio suo edoceat.

*) "Parochus antequam ad baptizandum accedat, »ab iis ad quos spectat exquirat diligenter, quem vel »quos susceptores seu patrinos elegerint, qui infantem »de sacro fonte suscipiant, ne plures quam licet, aut »indignos, vel ineptos admittat." *Rit. Vienn. pag.* 17.

25.

Ut concilium *Trid.* decrevit; 1) unus tantum sit susceptor (patrinus) sive vir, sive femina, aut ad summum unus et una; nunquam vero duo viri, aut duæ feminæ simul admittantur; *) 2) requiritur, ut ætatem puberem jam attigerint: 3) sint chrismatis sacramento jam confirmati; 4) doctrina christiana satis imbuti. Monachi, virgines Deo sacratæ, aut cuicunque ordini religioso adscripti, infideles, ab ecclesiæ communione repulsi, publici malefactores, infames, mente capti, testes in baptismo esse nequeunt. **) Majoris momenti est monitum Concilii *Mediolanensis* 1565., quo præscribitur parochis, ut hortentur fideles, ne eos duntaxat eligant *compatres* in baptizandis filiis, qui eorum inopiæ sub-

venire possint opibus suis, sed eos potius, qui sint idonei curandæ eorum saluti spirituali. ***)

*) "Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, "vel ad summum unus et una adhibeantur ex decreto "concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo "viri, aut duæ mulieres." *Rit. Vienn. pag.* 18.

**) *Hos autem patrinos saltem in ætate pubertatis, ac sacramento confirmationis consignatos esse maxime convenit. Sciant præterea parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos non publice excommunicatos, aut infames, nec præterea, qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei: hæc enim patrini spirituales filios suos, quos de baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur. Præterea ad hoc etiam admitti non debent monachi, vel sanctimoniales; neque alii cujusvis ordinis regulares a seculo segregati.* Ibid.

***) *Fideles in baptizandis filiis eos potius eligant compatres, qui eorum animæ consulere, quam qui inopiæ subvenire possint. Cujus officii sæpius eos parochus admonebit. Eam quoque rationem*, inquit S. Carolus Borromæus, *cohortando habebit parochus, ut ne peregrini, hospites, ignoti et ii denique compatres adhibeantur, quorum domicilium cum longe absit, verisimile non est, consuetudinem inter baptizatum, eosque ita futuram, ut suscepti muneris functionem in eo instruendo præstare possit.* Rituale Ambrosianum instruct. de sacramento baptismi.

26.

Certum baptismi administrandi tempus præstitutum non est. Si baptismus hoc, quam illo tempore efficacior esse putaretur, superstitiosum foret. Qua de re,

cum opus est, pastor suos edoceat. Adulti, ut ritualis liber monet, *) sabbato ante Pascha, vel Pentecosten ritu solemni sacro fonte ut lustrentur, perquam opportunum est, nisi causæ necessariæ aliud postulent. Id in primis in ecclesia metropolitana, aut cathedrali observetur.

*) "Quamvis baptismus quovis tempore, etiam in»terdicti, et cessationis a divinis, præsertim si urgeat »necessitas, conferri possit; tamen duo potissimum ex »antiquissimo ecclesiæ ritu sacri sunt dies, in quibus »solemni ceremonia hoc sacramentum administrari maxi»me convenit, nempe sabbatum sanctum Paschæ, et sab»batum Pentecostes, quibus diebus baptismalis fontis »aqua rite consecratur." *Ritual. Vienn. pag.* 19.

27.

Locus, quo sacro baptismate abluntur infantes, more recepto est ecclesia, vel ad sacrum hunc ritum destinatum sacellum. In privatorum ædibus baptizare haud licet; nisi excuset necessitas. Ritualis liber *Viennensis* id extendit ad principum liberos. *) Alias ceremonias, quæ ad baptismum adhibentur, speciatim hic exponere, necesse non est. Perspicue de iisdem agit ritualis liber, et usus etiam hic optimus est magister.

*) *Licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediat: tamen proprius baptismi administrandi locus est ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certe baptisterium prope ecclesiam. Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet; nisi forte sint* regum, *aut* magnorum principum *filii, id ipsis ita deposcentibus; dummodo id fiat in eorum* capellis; *seu* oratoriis. Pag. 19. et 20.

28.

Consuetudo, puerperas post partum in ecclesias introducendi, approbata quidem est; sed non præcepta. Proprie eum in finem hoc fit, ut periculo perfunctæ Deo gratias agant, prolem recens in lucem editam ei commendent; et ceu hostiam offerant. Pastor ab opinionibus superstitiosis suos deducere studeat. *) Nam 1) superstitiosa est opinio, ante hunc ritum fas non esse mulieri, negotium ullum obire, prodire e conclavi, aut rei divinæ interesse etc. 2) Illicitum, et ineptum est, mortuæ, aut ejus loco alii mulieri ritu consueto bene precari (*benedicere.*)

*) Caveat parochus (*ait liber ritualis Andegavensis* 1624. *Carnotensis, et Rothomagensis* 1640. *Meldensis* 1645. *Cabillonensis* 1649. *et Trecensis* 1660.) ne observationes ullæ superstitiosæ ad eam benedictionem adhibeantur, sive in numero candelarum, sive in ritu osculandi altaris, aut oblationis in eo deponendæ, sive in ordine et modo obeundorum altarium, sive in delectu dierum (quia plerique infaustum putant diebus veneris, et aliis ejusmodi diebus benedici) sive in aliis quibuscumque circumstantiis. *Libri rituales Bellovacensis* 1573. *et Parisiensis* 1649. *eadem monent.*

29.

Ut adulti baptismum digne, et cum fructu suscipiant, neccesse est, ut 1) sponte sua, non coacti christianorum cœtui cupiant aggregari: 2) ut necessariis doctrinæ rudimentis sint instructi: 3) ut bono fine se hoc statuisse ostendant: 4) ut spem præbeant, nequaquam fore, ut improbæ vitæ licentia christianæ religioni dedecori sint. Ex his intelligi potest, quid pastorem fa-

cere oporteat illorum causa, qui per baptismum sacris christianis initiari cupiunt. *a*) Diligenter perscrutetur, et inquirat, an serio id statuerint; an non causæ hujus propositi illicitæ sint: *b*) quo illos tentat tempore, mores vivendique rationem eorumdem observet: *c*) magna cura eos doceat.

30.

A christianæ religionis disciplina prorsus alienum est, divinæ doctrinæ expertes vi ad christiana sacra suscipienda adigere, id quod in rudium seculorum caligine quandoque factitatum est. *) Id etiam dicendum est de variis alliciendi modis, de rerum caducarum pollicitationibus, aliisque incitamentis, quæ adulterinus fervor, vanitas, gloriæ cupido excogitarunt. Inhæreat menti, quod Christus minatus est Pharisæis: *Væ vobis, Scribæ, et Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare, et aridam, ut faciatis unum proselitum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos*, (i. e. qui improbitate gravioribus gehennæ pœnis digna vos superabit.) MATTH. XXIII. 15.

*) S. Gregorius *Magnus ait*: Nova, et inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.

31.

Quoniam in adultis consensus, libera voluntas, et cognitio requiruntur, mente capti, furiosi (maniatici) et generatim omnes, quibus usus rationis non est, non baptizantur, nisi constet; nullo unquam, postquam nati fuerunt, tempore mentis compotes fuisse. Tum enim infantibus censentur similes.

32.

Tandem albo (libro) baptismali necessaria inscribun-

tur. Notantur hic *) annus, mensis, et dies nativitatis, ædium numerus, infantis nomen, ei impositum in baptismo, nomen gentilitium, num legitimus, an spurius, nomina et cognomina parentum, societas religionis, cui addicti sunt, nomina, cognomina, et status sive conditio patrinorum. Patrini, adinstar testium in albo *matrimoniali*, quæ acta sunt, manu sua, sive nominis subscriptione, aut si loco ipsorum alius scripserit, manum alienam apposito abs se signo confirment.

*) *Vid. edictum augustissimum* 20. *Febr.* 1784.

33.

Si liberi spurii, sive ex thoro non legitimo nati sunt, nunquam albo (*matriculæ*) inscribitur nomen illius, qui infantis pater putatur esse, vel quod ipse se suspectum reddidit, vel quod hic in vulgus manavit rumor, vel quod mater id asseruit, nisi ille ipse, se infantis genitorem esse, aperte declaret; quod etiam in baptismali libro est addendum, idque non dissimulanter. *) Hujusmodi enim inscriptio patris *putativi* existimationem minuit apud alios, neque jure necessarium id esse reputatur; sive matrem spectes, sive infantem.**)

*) *Edictum cæsar.* 20. *Julii* 1770, *et* 17. *Oct.* 1783.

**) *Edictum augustiss.* 20. *Febr.* 1784.

34.

Ex edicto Cæsareo-regio *) parocho neque, quod infantem baptizavit, neque quod albo nomen inseruit, mercedis loco quidquam, *jure stolæ*, postulare licet. Statuit præterea Augustissimus imp. **) ne, dum baptismus administratur, munusculum aliquod afferatur

æditno; sed omnis ea functio gratis obeatur. Litteræ *baptismales*, seu suscepti baptismi testimonia, ex edicto cæs. reg. iis, qui nullibi permittuntur consistere, sed, quocunque venerint, migrare jubentur, perinde ac pauperibus gratis a parochis impertiendas ne sunt. ***) Ab his, quibus hæc testimonia gratis dantur, nihil etiam signatæ chartæ causa exigitur, ita tamen, ut vocabulum *gratis* adscriptum, et paupertas manifesta sit. Id si non esset, parochus non tantum id, quod signatæ chartæ causa exigitur, pendere; sed statutam etiam ob hoc mulctam cogeretur exsolvere. ****)

*) *Edictum cæs. reg.* 17. *Oct.* 1783.

**) *Edict.* 8. *Nov.* 1783.

***) *Edict* 24. *Apr.* 1770.

****) *Edict.* 2. *Maii* 1772.

35.

Ut sancitum in baptismo baptizatorum foedus confirmetur, ut iidem eorum, quæ promiserunt, admoneantur, atque adversus tentationum assaltus corroborentur, *Confirmationis* sacramento muniuntur. Sacramenti hujus minister est episcopus; parochus vero id curat, ut 1) qui per ætatem secundum ecclesiasticas leges idonei sunt, sacro hoc mysterio initientur, 2) atque ante, ut decet, doceantur, ac ad illud rite præparentur. *) Itaque ejus munus est, ut in catechesibus publicis, et concionibus de religioso hoc actu edoceat suos; imminente præsertim tempore, quo hoc sacramentum administrandum est, notet in parochia sua illos, quos idoneos censet ad sacramentum hoc cum fructu suscipiendum, eosque rite instruat.

*) "Parochi officium est, eos, quorum curam habet, »admonere, ut post baptismum cum ad annos discretio»nis venerint, ad hoc sacramentum festinent." *Rit. Vienn. pag.* 150.

36.

Animarum curam habentibus occasio ut esset, confirmandos utiliter instruendi, in ecclesia Latina consuetudo inducta est, ut tantum ii, qui rationis usum jam habent, sacro chrismate inungerentur. Nam olim statim post baptismum hoc sacramentum conferebatur; *) qui mos apud Græcos etiamnum obtinet. Concilium *Mediolanense* primum, et aliæ ecclesiasticæ synodi ante septimum ætatis annum accedere vetant. Concilium *Mediolanense* quintum episcopi arbitrio id permittit. **) Sunt loca, quæ episcopus raro adit; parvuli interdum infirma valetudine sunt, etc. Horum semper habenda est ratio.

*) Tertull. *lib. de bapt. cap.* 7. *et* S. Innocentius I. *epis. ad Decentium.*

**) "Si episcopus ob aliquam causam justam, atque »adeo necessariam parvulo, vel infanti, qui non modo »ætatem septem annorum expleat, sed ne attingat quidem »ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum. . . . »Ante septennium quis ad confirmationis sacramentum vix admittatur." *Rit. Vienn. pag.* 150.

37.

Etiam hic quandoque inveniuntur opiniones ridiculæ, ex ignorantia ortæ, quæ meliora edocendo ex hominum animis sunt evellendæ. Sunt, qui putent, sacramentum hoc confirmationis ritum iis, qui dormientes ambulant, aut quos nocturna per somnum visa agitant, utile ad

quietem conciliandam remedium esse. Quidam aliam alio tempore ei virtutem, et efficaciam majorem inesse opinantur; si v. g. ante potius, quam post meridiem administratum fuerit etc.

38.

Sacramentum chrismatis, ut omnes ecclesiasticæ constitutiones sanciunt, in eodem homine iterari nequit. Ideo, cum res postulat, pastor suos edoceat, ut nefario illorum scelere se non contaminent, qui dona aut sustentationem a susceptoribus (*patrinis*) sperantes sæpius ad mysterium hoc accedere non verentur. Quod ut impediretur, multa concilia sponsoribus interdixerunt, ne quidquam confirmatis largirentur. *) Exstant etiam constitutiones ecclesiasticæ, quibus cavetur, ut parvuli, qui in primis vitæ annis sacro chrismate fuerunt uncti, hujus rei diligenter admoneantur. **) Eadem de causa quidam sacrorum rituum libri præcipiunt, ut parochus nomina, et cognomina eorum, qui in ejus parœcia confirmati fuere, nomina patrum ac matrum, nomen episcopi confirmantis, nomina susceptorum, annum, diem, templum, locum, ubi sacro chrismati fuerunt signati, annotet. ***)

*) Susceptores in sacramento confirmationis, neque iis, quos susceperint, neque eorum parentibus quidquam largiantur, ne cuiquam, quod aliquando commissum est, iterandi hoc sacramentum, quod nefas est, occasionem præbeant, *ait Concilium* Mediolanense *primum an.* 1565. *Constit. Part.* 2. *n.* 3. *Similia statuerunt Conc.* Aquense *Tit. de Sacram.* 1585. Melodunense *Tit. de confirm.* 1579. *Concilium provinciale* Avenionense 1594. *Tit.* 15. *de sacram. confirm. Conc. provinciale* Narbonense 1609. *etc.*

**) Minoribus natu, *dicit conc.* Mediolanense *quintum*, atque adeo parvulis, si quandoque ministrabitur Sacramentum confirmationis, eorum parentes, vel qui curam gerunt, parochus moneat, ut ætate procedente istos ea de re certiores faciant, ne parentibus curatoribusque postea mortuis, ipsi aliquando dubitent, an hoc sacramentum, quod iterari nefas est, susceperint *etc. Constit. Part.* 1. *Tit.* 8.

***) *Liber ritualis* Bellovacensis 1637. et Rhemensis 1676.

39.

De susceptoribus in confirmatione fere eadem, quæ de sponsoribus in baptismo animadvertenda sunt. Nimirum *a*) unus tantum ad sacrum hoc negotium admittatur. *) *b*) Sint nisi necessitas aliud suadeat, a susceptoribus in baptismo distincti. **) *c*) Sint ipsi etiam hoc sacramento jam muniti.

*) *Cap.* non plures, *et cap.* in cathechismo *de consecrat. dist.* 4.

**) In catechismo, et in baptismo, et in confirmatione unus patrinus fieri potest: non est tamen consuetudo Romana; sed per singulos singuli suscipiant, *loc. cit.* Patrinus eligatur tantum unus, qui sit confirmatus, et alius a patrino baptismi. *Rit. Vienn. pag.* 151.

40.

Tandem omnibus, queis potest, modis pastori curandum est, ut dum sacra hæc res peragitur, cuncta pie, attente, et rite, nihil perturbate, aut per tumultum agatur. Plurimum conduceret, et cuncta, ut oportet, fierent, si episcopus nullum sacro chrismate inun-

geret, qui satis de hoc mysterio se edoctum esse, testimonium a parocho non afferret. Utilissimum quoque foret, si parochus ante religiosum hunc actum de eo ad congregatos verba faceret.

41.

Inter sanctissimos; maximique momenti religionis actus merito sacræ eucharistiæ usus refertur. Ut parochus divinum hoc epulum, cum necesse est, impertire possit, ex ritualis *Romani*, et *Viennensis* præscripto semper consecratarum hostiarum, quem sufficere putarit, numerum in promptu habeat, easque bene, et munde asservet, et quando necessitas postulat, alias recens consecratas substituat. *)

*) *Curare debet parochus, ut perpetuo aliquod particulæ consecratæ eo numero, qui usui infirmorum, et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solida, decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, velo albo cooperta. . . . Sanctissimæ eucharistiæ particulas frequenter renovabit; hostiæ vero consecrandæ sint recentes, et ubi eas consecraverit, veteres prius sumat, vel distribuat.* Rit. Rom. et Rit. Vienn. pag. 184.

42.

Olim statim post baptismum sacrosancto Christi corpore pascebantur baptizati. *) Etsi antiquitas, ut conc. *Tridentinum* loquitur, **) damnanda non est, quæ hac consuetudine in quibusdam locis usa fuit: tamen nunc secundum ecclesiastica præscripta cœlesti huic mensæ accumbere non licet, nisi iis, qui rationis usum jam habent, et divinum hunc panem a profano norunt discernere. ***) Atque hoc ideo fit, quia Christiani ma-

jorem inde percipiunt fructum, si prius de exterioribus religionis actibus edoceri, piæque in eorum animis cogitationes possunt excitari; quod locum non habet, cum sacramentum hoc, ab iis, qui nullam sacrarum rerum cognitionem habent (*mechanice* tantum) suscipitur.

*) Arcudius *lib.* 1. *c.* 13. *et lib.* 3. *c.* 4. *Card.* Bona *lib.* 2. *rerum liturg. cap.* 19. *n.* 1. *et* 3. Leo Allatius *lib.* 3. *de concord. c.* 9. *n.* 6.

**) *Sess. XXI. c.* 4. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas; si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit.

***) "Pueris eucharistia conceditur, si in ea ætate, "et discretione sint, ut discernere possint corpus Do"mini. . . . Iis, qui propter ætatis imbecillitatem non"dum hujus sacramenti cognitionem, et gustum ha"bent, administrari non debet." *Rit. Rom. et Vienn. pag.* 182.

43.

Cum vero ratio in aliis serius vim suam exserat; certum tempus præfiniri nequit. Id vero certum est, magni interesse, ut in iis, qui in ætate teneriori primum divina hac dape reficiuntur, vere piæ salutaresque cogitationes excitentur, moneanturque, nequid in sacrosancto hoc negotio delinquant, et aliorum more in ullum errorem rapiantur. Si ab initio id tantum agitur, ut pueri in sacris ritibus animum vertant ad ea, quæ sub aspectum cadunt, et in exterioribus hæreant, magna jam in omnem vitam facta est jactura. Quare pastor et liberos, et eorum parentes recte docendo caveat, ne in hoc religionis actu quidquam, quod non deceat, quod non utile sit, committatur. Utile profecto foret, si quotannis ante paschale tempus parvuli, ad sacram sy-

maxim ut accedant, idonei, ab aliis separati, partim una simul, partim seorsum necessaria doctrina instruerentur.

44.

Cum plerumque iis duntaxat divina hostia præbeatur, qui discernere possunt, quid accipiant: non præbetur adultis, qui a primo vitæ exordio nunquam mentis compotes fuerunt. *Insani* vero, qui antequam insanire cœperunt, piam voluntatem ostendentes, Christi corpore pasci desideraverunt, in fine vitæ præberi posse diœcesanus rituum liber affirmat; dummodo timendum non sit, ne in insania quidquam, quod reverentiæ adversetur, committant. *) Ab insanis (*amentibus*) diligenter distinguendi sunt *dementes*, qui aliqua doceri possunt. **)

*) *Amentibus, qui tunc a pietatis sensu alieni sunt, hoc sacramentum dare minime oportet: quamvis si, antequam in insaniam inciderint, præ se tulerunt piam, et religiosam animi voluntatem licebit eis in fine vitæ ex conc. Carthag. decreto eucharistiam administrare, modo periculum vomitionis etc. nullum timendum sit.* Rit. Vienn. pag. 183.

**) "Quidam etiam dicuntur large amentes, quia „debilem mentem habent; sicut dicitur invisibile, quod „male videtur: et tamen sunt aliquo modo docibiles „eorum, quæ ad fidem, et devotionem sacramenti pertinent; et talibus non oportet corpus Christi denegari." *S. Thomas* 4. *Sent. Dist.* 9. *art.* 5.

45.

Cum ab ortu *surdi*, *et muti* (Part. I. Sect. 3. §. 156. etc.) rerum divinarum cognitione imbui, et pia

animi sensa in iis excitari possint: dubitandum non est, quin iisdem cœleste hoc epulum sit impertiendum.

46.

Si sceleratorum improbitas manifesta, sive palam nota est, observatur, quod de sacramentis generatim §. 8. dictum fuit. Ut omnes constitutiones ecclesiasticæ præcipiunt, denegatur iis eucharistia, sive palam, sive occulte petant; si non antea exempli, quo alios offenderant, pravitatem emendavere. *)

*) Arcendi sunt publice indigni etc. *Rit. Rom. et Vienn. pag.* 158. Si peccatum est manifestum, debet denegari eucharistia, sive in occulto, sive in manifesto petant. *S. Thom.* 4. *Sent. dist.* 9. *art.* 5. "*Nec vero »antequam ipse perspexerit, istos ab ea male agendi »via recessisse, peccandique occasionem, ac publicas »offensiones præcidisse, permittat (etiamsi testimo»nium confessarii afferant) ne in paschali quidem cele»britate sacram communionem eis ministrari: quin im»mo illam tam diu differri jubeat, quoad eorum veram »vitæ emendationem episcopus cognoverit.*" S. Carol. *in Concil. provin.* 6. *Tit. de pœnit. Idem* S. Carolus. "*Neminem peccatis publicis irretitum ad communionem »excipiet; nisi prius scandalo publico satisfecerit.*" *In instruct. in actis eccles. Mediol. pag.* 602. *edit.* 1683.

47.

Alia ratione agendum est cum illis, qui non coram aliis eucharistiam petunt. His enim, quin eorum honor imminuatur, denegari potest. Tum enim valet generalis regula: *indignis deneganda sunt sacramenta.*

*) "Occultos vero peccatores, si occulte petant,

»et non eos emendatos agnoverit, repellet; non autem »si publice petant, et sine scandalo ipsos repellere non »possit." *Rit. Vienn. pag.* 185.

48.

Quidam, ne eucharistiam non præbendo in aliorum offensionem incurrerent, indignis aut amentibus hostiam non consecratam porrigendam esse existimarunt. At hæc faciens revera deciperet homines, quod nunquam, ne dum in actibus ad religionem attinentibus facere licet. *)

*) "Hostia non consecrata nullo modo dari debet »pro consecrata, quia sacerdos hoc faciens quantum in »se est, facit idolatrare. *S. Thomas* 3. *Part. quæst.* 80. »*art.* 6. *ad* 2."

49.

De frequentiore, aut rariore hujus sacramenti usu hæc dicenda videntur. Antiquitatis mori consentaneum, et ad excitandam pietatem peropportunum foret; si in publico divino cultu omnes, qui adsunt, etiam cœlestis epuli fierent participes; quod ecclesia, licet id optet, non præcipit. *) Ut pietatem non in actionibus externis; ita etiam non in frequentiori, aut rariori usu eucharistiæ sitam esse, certum est. **) Tandem extra omne dubium est, frequentiorem, aut rariorem usum aut suadendum esse, aut dissuadendum, nempe ut alterutrum magis aut minus ad pietatem augendam confert. ***)

*) *Notanda est sententia, quam* Innocentius XI. *damnavit*: Frequens confessio et communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. *In decreto contra* 57. *et* 65. 1. *Martii* 1699.

**) *Qui plura de hac re Patrum, aut aliorum scriptorum ecclesiasticorum loca desiderat, ea inveniet in celebris* Antonii Arnaldi *libro*: De la frequente communion; *et in alio*: Tradition de l' eglise sur le sujet de la penitence, et de la communion.

***) Quos igitur potissimum laudabimus, an qui semel, an qui frequentius, an qui rarius communionem adeunt? Neque hos, neque illos, sed eos demum, qui cum puræ mentis conscientia, qui mundo corde, ac vita integra, atque inculpata Christi corpore reficiuntur. *S. Chrysost. Hom. 17. in epist. ad Hebr.* "*Non est* »*utile omnibus hominibus, quotidie ad hoc sacramentum* »*accedere, sed quotiescunque ad illud invenerit se præ*»*paratum; unde in libro* Gennadii *dicitur*: Quotidie »communionem accipere nec vitupero, nec laudo." *Franc. Sales. Parte 2. Introd. ad vit. devot. cap. 20.*

50.

Homines tepidi, remissi, frigidi, qui inter aperte sceleratos, et probos medii esse volunt, cœlesti huic convivio licet sæpius intersint, teporem non excutiunt; sed augent potius, cum existiment, ob repetitam crebro sacram communionem sibi labore opus non esse, ad propensiones (cupiditates) suas secundum christianæ religionis præcepta moderandas, et vitia emendanda. Hi monendi sunt, ut potius delicta emendent, quam ut crebro ad divinam mensam accedant.

§. 51.

Diuturna consuetudo facit, ut probi etiam christiani, dum ad sacram synaxin veniunt, de rebus cœlestibus non cogitent, animum attentum non habeant, desidesque sint. In hac rerum conditione (§. 49.) sacer

medicus vituperandus non est, si his eadem suadet, quæ plerumque suadentur, cum ob longiorem consuetudinem virtutis adjumenta evilescunt; nempe ad fervorem inflammandum aliquo temporis intervallo intermittendam esse sacram communionem. *)

*) *Quoniam de frequentiore communione multa scripta, multumque litigatum fuit, haud supervacaneum videtur, quorumdam inter nos passim probatorum scriptorum, aliis verbis eadem dicentium, testimonia in medium afferre. S. Bonaventura in 4. Sent. dist.* 12. "Quæritur, utrum expediat, frequenter eucharistiam frequentare alicui. Dicendum, quod, siquis videat, se esse *in statu ecclesiæ finalis*, utpote frigidum et tardum, laudandum est, quod raro; si autem *in medio modo*, medio modo debet se habere, et aliquando debet cessare, ut discat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore." *Idem lib.* 2. *de profectu relig. cap.* 77. Gennadius *lib. de eccl. dogm. cap.* 53. *etc.* S. Franciscus Sales: "Aliud est, communionem ab aliarum rerum perceptione, aliud frequentem communionem a rariori secernere. Si tenella illa anima satis perspicit ad hoc mysterium crebrius adeundum magna mentis puritate, magnoque fervore opus esse, si ad eum enitatur, et eo se exornare studeat, tunc equidem illam sæpe, hoc est, decimo quinto quoque die ad synaxin admovendam esse censeo. Si vero communionis tantum percipiendæ, non autem levium juventutis imperfectionum expugnandarum studio tenetur, arbitror futurum satis, ut.... nonnisi post mensem communicet. *Lib.* 2. *epist.* 38. *alias* 44. *Vid. Arnaldum* de frequenti communione.

§. 52.

Ex his, quæ diximus, notetur utilis hæc regula: dum publice de religione sermones habentur, Christia-

ni imprudenti ardore, plusquam humanas dotes desiderando, a crebra sacramenti hujus perceptione non deterreantur. Dum vero eos, ut divino hoc pane sæpius sese reficiant, hortamur, in medium, ut recte omnia intelligantur, afferantur illa, quæ ad animum rite præparandum ad divini illius epuli perceptionem in primis necessaria sunt. *)

*) *Populum sæpius admonebit* (parochus) *qua præparatione, et quanta animi religione, pietate, et humili etiam corporis habitu ad tam divinum sacramentum accedere debet.* Rit. Vienn. pag. 181.

53.

Ut nunc ecclesia præcipit, illis, qui divinæ mensæ accumbere volunt, a media nocte abstinendum est ab omni cibo, potuque. Excipiuntur ægroti, qui, imminente vitæ exitu, *per modum viatici*, ut scholæ loquuntur, sacrosancto Christi corpore pascuntur. *) Causa hujus legis, quæ olim non erat, hæc est, ut multa, quæ indecore et fœde interdum fiebant, evitentur.

*) *Jejuni accedant ad eucharistiam, ita, ut nihil omnino comederint, aut biberint a dimidia nocte (excipiuntur tamen infirmi, de quorum periculo dubitatur, ne sine communione discedant.)* Rit. Vienn. pag. 181.

54.

Sunt etiam falsæ, et superstitiosæ quorumdam hominum de hoc mysterio opiniones, quas pastorem bonum e suorum animis excutere oportet. Sunt vero illæ aut de usu sacramenti, aut de fine in ejus perceptione proposito. Pii quidam homines errore capti majorem a Deo gratiam impetraturos se existimant, si hostia grandiore, aut pluribus vescantur. Sunt, qui nefas esse pu-

tent, eo die, quo sacri epuli convivæ fuerunt, laborare. Interdum sacra hostia membris vitio aliquo affectis alligabatur; interdum tumulo cum defunctis inferebatur. Immo olim usus hujus sacramenti experimenti loco erat, utrum is, qui sceleris insimulabatur, reus esset, nec ne etc. *)

*) Thiers *Traité des superstitions, qui regardent les sacramens. Liv.* 3.

§. 55.

More ubique receptum est, ut salutaris hostia ad ægrotos eâdem pascendos deferatur. Excluduntur, ut liber ritualis *Romanus* præscribit, manifeste seu notorie scelerati. *) Ægroti, nisi usu rationis destituti fuerint, aut continua tussi, aliove malo impediantur, hoc divino pane reficiuntur, quoties desiderant; præsertim cum vitæ terminus appropinquat. **) In quibusdam locis in more positum erat, ut ægroti, qui hoc sacramento pasci non poterant, id ad se adorandi causa deferri curarent; sed hunc morem multa decreta ecclesiastica sustulerunt. ***)

*) *Cavendum autem in primis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur.* Rit. Vienn. pag. 194.

**) *Hortetur parochus infirmum, ut sacram communionem sumat, etiamsi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat; maxime si festi alicujus celebritas id suadeat; neque ipse illam potenti ministrare recusabit. Pro viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quodsi æger sumpto viatico dies aliquod vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, ejus pio desiderio parochus non deerit. . . . Id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phle-*

nesin, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum aliqua indecentia cum injuria tanti sacramenti timeri potest. Rit Vienn. pag. 194.

***) *Alicui*, dicit inter alia Rit. Rom., *ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujuscunque rei prætextu ad ostendendum eucharistia non deferatur.*

56.

Non in omnibus regionibus mos fert, ut capite damnati cœlesti hoc pane reficiantur. Habentur quippe illic in publice sceleratorum numero, qui pessima improbitatis exempla nondum expiarint, et de quorum vera animi emendatione dubitetur. In nostris terris a sacra communione non prohibentur. *Viennensis* ritualis liber id tantum præcipit, ut pridie, quam ad supplicii locum ducuntur, sacra hostia iis præbeatur, quod illorum mens conceptis ex jam impendente morte angoribus nondum penitus perturbata, et obtusa est. *)

*) Damnatis ad mortem debet dari eucharistia, sed id sit ante diem supplicii. *Rit. Vienn. pag.* 183.

57.

Erant tempora, ubi hoc sacramentum, ut FRIDERICUS NAUSEA, episcopus *Viennensis* testatur, ad sedandas tempestates circumferebatur. Sed ceremonia hæc neque in *Romano*, neque in aliis sacrorum rituum libris invenitur. Contra vero multæ constitutiones ecclesiasticæ licitam non esse statuunt. *)

*) *Sic* S. Carolus *in tertio concilio diœcesano an.* 1572. cum grandines, *inquit*, nimbi, turbines, et aliæ temporum procellæ imminent, ad eas tempestates sedan-

das, vel, ut vocant, signandas ne sacerdos vasculum, in quo sanctissimum Christi Domini corpus asservatur, adhibeat. *Idem in tertio concilio provinciali* Mediolensi, *et in synodalibus constitutionibus* S. Francisci Salesii *vetitum fuit.*

58.

Hoc sacramentum ut adoretur, in altaribus publice exponitur. Sed quia ea est hominum idoles, ut pedetentim minus revereantur, æstimentque ea, quibuscum assiduo agunt, aut quæ ante oculos ipsis obversantur; hoc sæpius ne fiat. Igitur parochus neque pro suo arbitrio, neque postulante populo; sed iis, queis præceptum est, temporibus, aut nominatim obtenta a superioribus facultate sacrosanctam hostiam publice colendam exponat. *) Idem dicendum est de ita appellatis *benedictionibus.*

*) Infra hanc octavam (*corporis Christi*) *inquit liber ritualis*, publicæ venerationi quotidie exponi potest, alias vero, ne *frequentes* expositiones vilescant, extra publicam necessitatem, et obtentam ab Ordinario specialem facultatem expositiones fieri non debent. *Copiose de hac materia egit* Thiers *in Traitè de l'exposition du S. Sacrament.*

59.

In sacro pœnitentiæ tribunali, ubi peccator ipse se accusat, et animi sui vulnera patefacit, admodum multa salutaria sacra hæc actio si rite peragitur, fieri posse certissimum est. At certum quoque est, prospiciendum esse, ut hic nihil inconcinne, nihil inordinate fiat, et omnes abusus tollantur. Quodsi in ullo sacri pastoris munere prudentiâ, et scientia opus est, profecto est in sacro hoc negotio. *)

*) *In ejus ministro requiritur bonitas, scientia, et prudentia, cum sigillo secretæ confessionis, sub exacto perpetuoque silentio. Quibus et aliis ad id opportunis, ut optime sint instructi, omni studio curare debent confessarii.*

60.

Eximius animarum pastor munere suo egregie perfungens, nullam, qua suis prodesse possit, occasionem omittit, semperque ad eos docendos, et monendos paratus est. Itaque etiam impigre, animoque promptissimo ad sacrum tribunal accedet. *) Suorum animos profecto a se abalienaret, si morosum, invitum, indignabundum, desidem hac in re se exhiberet.

*) Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se præbeat. *Rit. Vienn.*

61.

Ut in omni optimo etiam negotio peccari, et a recto tramite deflecti potest: ita quoque in hoc sæpe accidit. Sunt enim, quibus jucundum est, aut qui laudi sibi ducunt, sæpissime, et permultis peccata confitentibus operam dare; quibusdam etiam pietatem præ se ferentibus nimis patienter (libenter) aures commodant, qui identidem eadem repetunt, et in genuina vitæ sanctimonia nunquam verum progressum faciunt. Hi plerumque, quod crebro peccata apud sacerdotem exponant, se vere pios sanctosque opinantur, hi non raro admodum curiosi sunt, et varia dubia in medium afferunt, interdum duntaxat inexpertum periclitandi causa. Otiosi fere homines sunt, quorum id præcipuum negotium videtur esse, ut sæpe cum conscientiæ suæ arbitro colloquantur. Hac ratione sollicitudinem, quibus quorumdam animi torquentur, aculei non evelluntur; sed in-

figuntur altius. Alii etiam, quæ licita non sunt, spectant. Ex his facile cognoscitur, nimis promptum parochi animum horum hominum vitia fovere, multumque temporis amittere, quod in rebus utilioribus potest ponere, ac debet.

62.

Nimis longum foret, accurate hic monere, quibus in hoc negotio modis peccari possit, et a quibus novus pastor sibi cavere debeat, quam diligentissime. Præcipue autem id contingit, 1) si conscientiæ judex blanditiis deliniat eos, qui objurgandi sunt, aut probe consilio adjuvandi, eosque beatos prædicat, qui displicent Deo. 2) Si facit personarum discrimen, et libentius, promptiusque cum his, quam cum illis, cum divitibus, quam cum pauperibus agit. Maxime autem errant, qui sexum sequiorem anteponunt. 3) Si, ut commodo suo serviat, aut vanitati obsequatur, sacro hoc munere fungitur. 4) Si hac occasione imprudenter, aut consulto in familiarem amicitiam sese insinuando, aut fidem suam obstringendo ita laqueis se implicat, ut sine damno, aut famæ læsione se nequeat expedire. 5) Si suæ sententiæ tenax est, et sub obtentu, soli Deo reddendam esse rationem, non ad charitatis et prudentiæ regulas pro suo arbitrio rem dijudicat.

63.

Ut animarum curam habens hoc munus legitime, et valide administret, necesse est, ut ab episcopo habeat *jurisdictionem* et *approbationem*. In diœcesi aliena extra casum necessitatis jurisdictionem exercere nequit, nisi ab illius diœcesis episcopo facultatem et approbationem obtinuerit. Qui ex alienis parochis veniunt, iis peccata confitentibus more recepto aures præbere potest *) Hæc jurisdictio *limitari* potest 1) ratione loci, 2) hominum, 3) cassuum. **)

*) Persuasum *inquit conc. Tridentinum*, semper in ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet jurisdictionem.

**) Quod si pœnitens aliqua censura, vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate a superiore. *Rit. Vienn. pag.* 155.

64.

Plura, de quibus hac in re quæri potest, ad jus ecclesiasticum pertinent. Id tantum monemus, non semper opus esse, ut hæc facultas, sive approbatio aperte (*expresse*) impertita sit. Si v. g. consuetum est, ut parochi parochis e diversis diœcesibus, dum necessitas urget, mutuum sibi auxilium ferant; si alias approbati sacerdotes omnes, e quacumque demum parœcia ad eos veniant, ad peccata confitenda admittant, et si episcopus hanc consuetudinem non ignorat, eamque probat, perinde est, ac aperta (*expressa*) facultas.

65.

Ex necessitate alia sequitur exceptio. *) Dum ægrotus a morte proxime abest (*in articulo mortis*), quivis sacerdos, licet sic dicta jurisdictio ei desit, cum alius eâdem instructus coram non adest, ab omnibus omnino noxis expiare (*absolvere*) reum potest, quæcumque in sacra exomologesi exponantur.

*) *Si vero quis confiteatur in articulo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis, et censu-*

ris, quantumvis reservatis; (cessat enim tunc omnis reservatio.)

66.

In sacro tribunali pastor objurgantis (punientis) munere proprie fungitur. Igitur, quæ Parte I. *) monuimus, erunt utilia. Præcipuum ejus negotium in hoc situm est, 1) ut doctrina, monita, consilia respondeant indigentiis: 2) ut præscribat media, quibus proposita salutaria corroborentur, et in eadem peccata prolapsio impediatur, pœnas nimirum peccatis congruentes, seu pœnitentiæ opera; 3) pro confitentis statu absolutionem impertiat.

*) *Part. I. Sect. I. §. 87. seq. et Sect. III. §. 26. seq.*

67.

Ut officium suum his in rebus integre præstet, necesse est, ut pœnitentis statum penitus perspectum habeat. Cum vero rei non semper integre patefaciant, propositis quæstionibus explorandus est. Constat vero id non semper, nec apud omnes esse faciendum, sed tantum cum animadvertimus, non integre, aut non candide animi labes fuisse detectas. *) Multa hic se accusantis menti bene vel male factorum sibi consciæ sunt relinquenda. Quod si in omnia, quæ pœnitens admittere potuit delicta, vellemus inquirere: de omnibus doctrinæ moralis præceptis in singulorum confessionibus esset interrogandum.

*) *Si pœnitens numerum, et species, et circunstantias peccatorum explicatu necesarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget. Sed caveat ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utriusque sexus, vel alios,*

de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant. Rit. Vienn. pag. 156. seq.

68.

Cum in hoc negotio ut generatim in castigandi munere, multum referat, ut gravia, et nefanda peccata a levibus, humanaque imbecillitate admisis culpis discernantur, diligentissime, si ex ipsa confessione id non cognoscitur, explorandum est, utrum gravia illa delicta sint, an levia. Ut vero hoc discernatur, non ad quorumdam *Casuistarum* regulas, quasi ad quamdam trutinam ponderanda, aut lapidem lydium examinanda sunt. Animi in primis status est considerandus.

69.

Cum eo, qui diuturna peccandi consuetudine occalluit, et quasi quodam naturæ impetu in scelera fertur, longe aliter agendum est, ac cum illo, cui tam fœda consuetudo non est. Interdum necesse est, ut ille de priori vitæ ratione interrogetur. Plures, quæ hic fieri possunt quæstiones, indicat liber ritualis diœcesanus. *)

*) *Mox confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) et quam pridem sit confessus, et an impositam pœnitentiam adimpleverit, num rite, atque integre alias confessus fuerit, num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.* pag. 155.

70.

Etsi ita decernente conc. *Tridentino* peccatorum numerus, et species ad confessionis integritatem pertinent: non tamen nimis anxie hic agendum, neque pœnitens nimium angendus est. Si cuncta ex ordine, accu-

rate, sigillatimque exponi cupimus: sæpe inde potius perturbatio oritur, quam distincta, et dilucida rerum cognitio. Semper ob oculos constituatur confessionis finis, nempe, ut doctrina, qua pœnitentes instruimus, ad eorum peccata accommodetur, ut pœnæ delictis congruentes irrogentur, et absolutio impertiatur, aut differatur, aut denegetur. *)

*) Archiep. Rituale Viennense *pag.* 189.

71.

Itaque prætermittantur omnes inutiles, et supervacaneæ quæstiones. His enim fit, ut sacrum pœnitentiæ tribunal habeatur odio, ut vanæ curiositatis, imprudentiæ, et ignorantiæ excitetur suspicio, et quod adstantibus permolestum est, tempus perdatur, quod in salutaribus monitis utilius posset collocari.

72.

Ut scelera penitus extirpentur, investiganda est eorum radix. Itaque in primis inquirendum est, ex qua propensione prava improba facta nascantur; et speciatim videndum est, quinam affectus in homine dominetur. Hic pro diversa rerum conditione et occasione variis modis se prodit.

73.

Peccata (*omissionis*) quæ prætermittendo ea, quæ facere oportet, aut muneris sui officiis non, ut decet, respondendo committuntur, sæpe minime omnium agnoscuntur, neque ullus de iisdem suscipitur dolor. Quam ob rem est interdum, cur in ea inquiratur, præcipue cum homines sunt, qui pietatem, et vitæ sanctimoniam

in exterioribus religionis actibus sitam esse, arbitrantur.

74.

Ut in publicis de religione sermonibus cavendum maxime est, ne scelera ita describantur, ut auditores ad ea pellicere, aut eadem perpetrandi modum edocere velle videamur: ita etiam in sacro tribunali maxime circumspectos esse oportet, ne nonnulli juniores præsertim animum advertant ad peccata nondum illis nota, et quæ fortasse, dum occasio se præbet, sunt perpetraturi. Ne vero confitens obmutescat, aut conturbetur, absque necessitate non interrumpatur ejus confessio, sed tum demum necessarium si est, interrogetur, aut moneatur quando peccata sua prorsus exposuit.*)

*) Confitentem, *inquit Rit. Vienn. pag.* 156. *seq.* non reprehendet, nisi finita. . . . confesione, neque interpellabit, nisi opus fuerit, aliquid melius intelligere.

75.

Integra omnium peccatorum confessio non ita necessaria est, ut non interdum, quin omnia peccata exposita fuerint, absolutio valeat impertiri. Sufficit interdum, dum res urget, minus integra accusatio, ut in prælio, naufragio, aut quandocunque timetur, ne pœnitens confessione nondum finita moriatur. In extrema necessitate satis est, vel minimo signo dolorem indicari. *) Inter urgentes causas ne referatur magnus pœnitentium concursus in die festo aliquo solemniori, aut indulgentiarum causa confluentium. **)

*) Rituale Romanum Pauli V. ait: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægro deficiant, nutibus et signis conetur sacer-*

dos, quoad poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcunque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium vel per se, vel per alium ostenderit, absolvendus est. Eadem habet Rituale diœcesanum pag. 160.

**) *Innocentius XI.* an. 1679. damnavit hanc sententiam: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pænitentium; qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, vel indulgentiæ.* Idem quoque egit *Clerus Gallicanus* an. 1700.

76.

Absurdum est, peccata scriptis mandata mittere ad sacerdotem, et ab eo per litteras absolvi a culpis; omnibus præterea ecclesiasticis regulis hoc repugnat. *)

*) *Clemens VIII.* hanc sententiam an. 1602. prohibuit: *Licet per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sua sacramentaliter confiteri, et ab eodem absolutionem peccatorum obtinere.*

77.

Dum pœnitentis status perspectus satis est, ostenditur ei, 1) perniciosa, et nequaquam licita esse, quæ perpetravit. 2.) Monetur, ut vitam emendet; monitis ad animi ejus statum accommodatis instruitur. 3) Præsertim monstratur, qua ratione vita instituenda sit, ne denuo in peccata, quæ confessus est, revolvatur. *) Huc pertinent ea, quæ de arguendi oficio generatim, **) et de diversis peccatorum generibus ***) diximus. Quia ob rerum conditionem non semper cum confitente diutius agere licet, id, quam fieri potest, brevissime, et quam

maxime perspicue moneatur, necessaria proponantur, causæque ad emendationem stimulantes afferantur. Quodsi difficiles occurrunt casus, in quibus consilio juvandus est confitens, ex. gr. de modo cum inimicis redeundi in gratiam, præbitam exempli pravitate offensionem eluendi, aut per nefas ablata restituendi etc. præcipitanter ne agatur, cavendum est. Præstat, in casibus perplexis rem diligentius perpendendi, aut consultandi spatium petere, quam præcipiti dijudicatione suadere imprudenter, quæ rata non sunt, aut pœnitenti imponere onus, quod ferre non tenetur.

*) *Demum, audita confessione, perpendens peccatorum, quæ ille* (pœnitens) *admisit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione opportunas correptiones, ac admonitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem, et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.* Rit. Vienn. pag. 157.

**) *Part. I. Sect. I.*

***) *Part. I. Sect. III.*

78.

Hunc etiam pertinet, ut pœnæ quædam, aut, ut diei solet, *satisfactio*, sive pœnitentiæ opera imponantur. Horum finis est, ut pœnitens scelera porro aversari pergat, et in eadem de integro non recidat. Erant olim, ut notum est, quædam prescriptæ regulæ, sive *canones pœnitentiales*, secundum quos singulis gravium delictorum generibus quædam pœnæ erant irrogandæ. Sed hi canones jam obsolverunt, et S. CAROLUS monet, ideo tantum

***

eorum habendam esse rationem, ut ecclesiæ in hac re consuetudo (*spiritus*) cognoscatur. Quid conscientiæ arbitro in hoc negotio agendum sit, partim ex magno, qui ei propositus esse debet, peccata diminuendi fine, partim ex illis, quæ nunc constitutiones ecclesiasticæ præcipiunt, est decernendum.

79.

Etsi secundum ecclesiæ, quæ nunc viget, disciplinam hoc negotium ad sanum pastoris sacri judicium rejectum est: tamen et pœnitentis salus, et manifestum concilii *Trid.* præscriptum requirunt, ut hæc pœnitentiæ opera respondeant delictorum, quæ confessus est, qualitati. Itaque agunt inconsulte, qui eadem omnibus præscribunt, perinde ac nonnulli medici, quibus universalis quædam ad medendum omnibus morborum generibus medicina est. *)

*) *Debent*, inquit concilium *Trid. sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere.*

80.

Si, quod negari non potest, hæc opera ea de causa præcipiuntur, ut peccata odio habeantur, et denuo non perpetrentur: liquet, non satis esse, breves quasdam precatiunculas, aut aliud leve admodum pietatis exercitium injungere, si gravia scelêra expianda, et corrigenda sunt. *)

*) *Ne*, porro pergit Concilium *Tridentinum*, *si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis*

delictis injungendo alienorum peccatorum participes fiant. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad vitæ novæ custodiam, et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem. Et Rituale Viennense: "Videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, ne si forte etc." pag. 158.

81.

Verum etiam hic observandum est, quod vulgo dicitur: *Ne quid nimis.* Nam si plus æquo ad christianæ religionis officia accuratissime explenda urgentur homines, animo franguntur, deterrentur, et ansa præbetur, ut pias sanctasque actiones prorsus prætermittant. Itaque semper præ oculis habendæ sunt pœnitentis vires, aut imbecillitas, et exterior rerum conditio etc. Quod antiquis temporibus gravia pœnitentiæ opera, jejunia, submissiones (*humiliationes*) publicæ etc. præscribebantur: non tantum id fiebat, ut pœnitens facinorum pœnas lueret; sed ut etiam alii absterrerentur, et hominibus præsertim rudibus fœditas, et gravitas peccatorum clare ante oculos constituerentur. *)

*) *Postremo salutarem, et convenientem satisfactionem, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, et ætatis, et item dispositionis pœnitentium.* Rit. Vienn. pag. 157.

82.

Ad propositum hoc in negotio finem maxime apta et commoda sunt ea pœnitentiæ exercitia, quæ affectum dominantem exadversum oppugnant, quæ occasiones proximas removent, quæ pœnitentem ab illis, quæ ad scelera ipsum pertraxere, avellunt, et quæ ideam fœditatis admissorum scelerum in ejus animo instaurant.

83.

Pœnitens, qui sua delicta occulte detexit, semper jus ad bonam famam retinet. Imprudentissime itaque ageret, honoremque ejus læderet, qui injungeret ea opera, e quibus cognosci posset, aut suspicio saltem moveretur, eum hæc vel illa scelera perpetrasse. *)

*) *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant.* Rit. Vienn. pag. 159.

84.

Etsi, ut animus vere mutetur, propositumque efficax sit, opus est, ut, qui vitæ improbæ exemplo palam aliis offendiculo fuit, palam etiam pœnas sceleris luat, conceptique doloris indicia præbeat: tamen in peculiaribus casibus qua ratione hoc faciendum sit, haud facile est statuere. Parocho, et universo clero generatim edicto cæs. 24. Febr. 1779. pœnas ecclesiasticas in foro externo infligere sine politici magistratus comprobatione, prohibitum fuit.

85.

Pœnitentiæ opera utilia, ejusque scopo respondentia sunt piæ precationes, crebro repetita meditatio quorumdam religionis dogmatum, aut sententiarum e sacris litteris, sui, ac erratorum suorum recognitio, lectio utilium librorum, continentia ab iis, quæ ad peccata alliciunt, corpore et animo exhibita amoris obsequia etc. Corporis afflictationes, vigiliæ nocturnæ, et alia id genus persæpe vero pœnitentiæ fini repugnant, et non raro superbiæ, et vanitati nutrimenta præbent. Ante oculos semper obversentur regulæ de Deo in spiritu, et veritate adorando, et de interiore Christianorum reli-

gione; monitum præterea apostoli: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, futuræ.* 1. *Tim.* IV. 8. Universim etiam huc spectat, quod de genuinis, et non genuinis virtutum adjumentis (Part. I. Sect. I. §. 81.) diximus.

86.

Quod supra diximus, pœnas delictis congruentes esse imponendas, non ita intelligendum est, cuique errato peculiare etiam pœnitentiæ opus ut præscribendum sit. Hoc pœnitentis memoriam nimium occuparet, aut oneraret; sæpe animum anxia sollicitudine torqueret, et causa esset, ut ob rerum multitudinem nihil omnino perficeretur.

87.

Demum perpendendum est, utrum pœnitentibus, quorum status perspectus jam est, impertienda sit absolutio, nec ne. Hoc partim ex fine, qui pastori in omnibus religionis actibus propositus esse debet, nempe e publico religionis et reipublicæ commodo, partim ex ecclesiasticis, quæ nunc habentur, præscriptionibus dijudicandum est. Ut in omnibus pastoralis curæ negotiis, ita etiam in hoc ante omnia spectandum est virtutis incrementum, et scelerum extirpatio. Ex quo sequitur prima universalis regula. Quando absolutio huic fini adversatur, et potius ad hoc valet, ut scelera augeantur, peccanti falsa securitas præstetur, præjudicia, quominus ea fiant, quæ christiana religio præcipit (*actuoso christianismo*) perniciosa foveantur, absolutio tribuenda non est.

88.

Communi religionis *) et reipublicæ **) emolu-

mento perniciosissimum præjudicium est, hominem scelerum reum sine justa præparatione, sine animi mutatione, sine emendatione, sive prompta voluntate, per nefas illata damna sarciendi etc. per sola sacerdotis verba coram Deo justum fieri, et quasi libertatem, denuo sceleribus sese contaminandi, atque improbe vivendi nancisci. Præfestinatim sine discrimine, sine inquisitione cuivis impertitæ absolutiones hoc multorum hominum prejudicium confirmant. Itaque non omnibus, qui scelera confitentur, absolutio est tribuenda. Ideo, ut rituum libri, *Romanus* et diœcesanus, mandant, ***) necesse est, ut diligenter inquirat sacerdos, quando, et cui absolutio aut deneganda, aut impertienda, aut differenda sit.

*) *Quid tot homines obstinata voluntate in vitiis retinet, nisi hæc cogitatio: Mihi certo (raro enim mors homines repente aufert) antequam ex hac vita abibo, peccata mea sacerdoti aperiendi non deerit occasio?*

**) *Esto, statuantur gravissima supplicia in proditores patriæ, in oppressores, in prohibita commercia clam exercentes, injuste agentes, fures, prædones etc. sacerdos dicat homini scelerato: Patefac tua mihi scelera, dic animo dolenti: Peccavi; et illico omnibus peccatorum sordibus abstersis in oculis Dei mundisimus, angelis purior eris. Quid jam minæ, quid pœnæ proficient, cum illi animum spe mulcebunt, facilem sibi ad cœlum viam apariendi?*

***) *Videat autem diligenter sacerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces.* Rit. diœces. pag. 159.

89.

Indubitatum, et ex catechismis notum est, absolutionem nequaquam prodesse illis, qui neque ex scelerum recordatione dolorem, neque vitæ emendandæ propositum concipientes, peccata sua sacro judici patefaciunt. Non hic de iis, quæ de dolore naturali, et supernaturali, perfecto et imperfecto, de charitate Dei dominante etc. quæri solent, prolixe agendum existimamus. Copiosius enim de his in theologia morali, et dogmatica disseritur. Satis est, dolorem, qui hic necessarius est, voluntatem peccandi excludere, et propositum novæ vitæ, et veteris odium continere. *) Itaque omnibus neganda est absolutio, qui nullo indicio peccata se detestari significant. **)

*) Concilium *Trid.* Sess. 14. cap. 4. decidit, eam contritionem, sive *perfecta*, sive *imperfecta* sit, sufficere ad peccatorem Deo reconciliandum, *si voluntatem peccandi excludat.* Et porro: *Declarat igitur sancta synodus, hunc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum, et inchoationem; sed etiam veteris odium continere.*

**) *Nec absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt, qui nulla dant signa doloris.* Rit. diœc. p. 159.

90.

Multo magis hoc affirmandum est de illis, qui animi signa dolori, et pœnitentiæ maxime adversantia manifestent. Ut sunt illi, qui odia et inimitias finire, bona injuste acquisita restituere, a peccandi occasione proxima recedere, et quod palam præbuerunt, nequitiæ exemplum corrigere nolunt, et eluere. *)

*) *Ne absolvat eos, qui.... odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possint, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata relinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt; nisi publice satisfaciant.* Rit. diœces. ibid.

91.

Ut illa, quæ rituum liber de differenda absolutione præcipit (§. 88.) ad usum transferantur, de illis tantum intelligenda sunt, qui admodum dubia doloris, et propositi signa edunt. Nam manifeste dignis jus est ad absolutionem; iisque statim est impertienda; aperte vero indignis, et, ut ritualis liber loquitur, incapacibus sine mora (§. 93.) denegatur. Ex quo hæc sequitur regula: Si doloris, et propositi signa dubia, et non sufficientia sunt, aut si contrarium verisimilius est, absolutio præterquam in casibus necessitatis tantisper differenda est; donec vere eos pœnitere certiora eluceant signa.

92.

Etsi perfecte, et mathematice certum esse nequeat, verum ac sincerum esse dolorem, atque propositum: animi quippe latebras nequimus perspicere: manifestum tamen est, solas asseverationes, immo etiam lacrymas, quæ interdum longe aliis ex causis fluunt, et in mollis animi hominibus facillime cieri possunt, non semper sufficientia esse indicia, præsertim tum, quando alia rerum adjuncta, vel animi status contrarium ostendunt, et potius verisimile esse significant brevi fore, ut pœnitens promissa iterum fallat. *)

*) *Innocentius XI.* 2. Martii 1679. hanc damnavit

sententiam: *Pœnitenti, habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, aut ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolore, et proponere emendationem.* Et *S. Carolus Borromæus* hanc tradit regulam: "Est præterea consultum absolutionem differre; donec evidens appareat emendatio in iis, qui, tametsi dicant, ac polliceantur, quod se eximent a peccato, tamen confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat." *Monit. ad Confess.*

Sola promissio pœnitentis, immo et lacrymæ non semper sunt signa idonea. Collet Tom. V. pag. 102. edit. Paris 1757.

93.

Incertissima propositi signa sunt crebra promissa, et asseverationes illorum, qui in eadem peccata crebro reciderant. Illis igitur, quibus inveterata peccandi consuetudo est tam diu differatur absolutio; donec a peccato abstinentes, serium sese emendandi propositum ostenderint. *)

*) "In aliis vero, ut alea ludere..... si eis nuntium remittere non policeatur, vel si spondeat, alias tamen, cum de eadem fidem fecerit, vitam non emendaverit, absolutionem differat, usque dum emendationis quædam signa videbit." *Carolus Borromæus monit. ad Confess.* Et iterum: *Idem faciendum est cum iis, qui cum multis annis in peccatis perduram, nulla interim adhibita opera in emendationem vitæ in eadem peccata iterum labuntur.* Ibid.

94.

Verum non de omnibus, qui in eadem delicta relapsi sunt, sine exceptione hoc statuendum est. Firma

et seria etiam proposita, post tempus aliquod infirmari possunt. Nec qui a pravis moribus ad virtutis studium vere se converterunt, semper in recta, quam ingressi sunt, via persistunt. Tum repetiti in peccata lapsus animi nunquam emendati nec vere resipiscentis indicia sunt, cum veteris peccandi consuetudinis revera continuationes sunt. At nequaquam sunt, si rem prudenter examinanti, tantum humanæ imbecillitatis effectus esse, statuendum est. Itaque hic investigetur, an insolita, neque quæsita, neque exspectata peccandi occasio novæ in eadem peccata prolapsionis fuerit causa, et an pœnitens efficacibus remediis usus fuerit.

95.

Quærenti, quamdiu hujusmodi homo examinandus sit, id tantum respondere licet: *Eo usque, dum prudenter judicari possit, serio, et vere nunc eum ad resipiscendum incitari.* Perpendendum igitur, quale sit, quod admisit peccatum, quæ difficultates, ut vere emendet vitam, sint superandæ, aut fuerint superatæ, in quibus occasionibus versetur, quæ remedia adhibita, quæve adhibenda.

96.

At non dicatur: Licet pœnitens aut sine omni dolore, aut cum admodum dubio accesserit, is fœditatem peccati describendo excitari potest, dum ille in sacro tribunali est. Hoc utique affirmare licet de iis, qui ex ignorantia, et errore, utpote de veræ et falsæ pœnitentiæ differentia non unquam edocti, interim peccaverunt. At de illis, qui sæpius frustra fuerunt admoniti, aliud dicendum est. Videntur enim confessionem sacram pæne pro deridiculo habere; et vix verisimile est, tandem in eo homine felici eventu verum dolorem fuisse excitatum. Vero dolore tum compungitur

animus, quando vivida, clara, et distincta cognitione de peccati fœditate mens convincitur. At exiguo adeo tempore, brevique sermone, quo turpitudinem ostendere licet, hæc cognitio non solet comparari.

97.

Dubia sunt etiam promissa illorum, qui iis occasionibus implicati sunt, in quibus christiani hominis officia plerumque violantur, aut illi ipsi saltem a peccatis sibi non cavent, quique ab eisdem sese expedire in animo nondum habuerunt, a quibus etiam, si penes eos erit, sese nunquam sejuncturi sunt, licet emendaturos se esse, prolixe polliceantur. His etiam (secundum §. 91.) absolutio usque eo differtur, dum ab illa occasione se removerunt. *) Quodsi ab ea discedere, eorum arbitrii non est, an serium propositum, et nulla simulatione tectum fuerit, ex iis, quæ §. 85. dicta sunt, est dijudicandum.

*) *Si pœnitentem iis, aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum etiam re ipsa existat, veluti, quod concubinam alit, vel quid hujusmodi, confessarius eum absolvere non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.* Carolus Borrom. Et iterum: "Et quidem "si probabiliter sibi confessarius persuadeat, posse se fidem primæ, vel secundæ a pœnitente sibi promissioni factæ dare, quod scilicet occasionem auferet, poterit eum promissionis intuitu absolvere; sin autem "fidem semel, atque iterum fregerit, ac tertio jam idem "polliceatur, absolutionem differat, usque dum re ipsa "videat, pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo "prius vixerat." *Monit. ad Confess.*

98.

Quæ de absolutione differenda diximus, cum dubia

duntaxat, et minime sufficientia pœnitentiæ signa apparent, ea locum non habent in necessitatis casu. Ita in præsenti discrimine suspirium, prehensa manus, et alia hujus generis signa sufficiunt, ut pastor cum morte confligenti absolutionem illico impertiat. Generalis ergo statui regula potest, quæ sæpe impedire valebit, quo minus imprudenter hac in re agatur. Eo modo, quo necessitas magis aut minus premit, plura aut pauciora, certiora aut minus certa pœnitentiæ indicia ad absolutionem conferendam sufficiunt.

99.

Hæc sunt generales regulæ, quibus conscientiæ arbitrum in casibus peculiaribus pro sua prudentia recte uti oportet. *) Id præterea cogitetur, omnia, quæ hic dari possunt monita, eo spectare, ut magna illa, et certissima regula nunquam violetur: *Id fac, quod pœnitentis saluti maxime expedit.* Unde hoc omnes peculiares casus complectens principium oritur: *Si in præsenti rerum conditione data absolutio pœnitentis saluti vere utilis est, confer eam illi, sin vero denegata, aut dilata illum a peccatis abstrahit, et ad virtutis studium incitat; denega eam, aut differ.*

*) *Cum partim rectus hujus regulæ usus permagnam requirat prudentiam, et rerum imperiti facile possint errare; partim vero non expediat, ut juniores theologi cum in sacro tribunali sedent, errando discant: illis, qui clericorum seminaria moderantur, in eam curam esset incumbendum, ut tirones per confessiones, quas* siccas *appellant, quid in hoc negotio agendum esset, edocerent.*

100.

Cum homines ex externis tantum de internis judica-

re valeant, sufficientia, et certa signa hæc sunt: 1) Si pœnitens a peccatis abstinet in illis occasionibus, in quibus antea eadem perpetrarat. 2) Si removet omnia, quæ ad peccata alliciunt. 3) Si ea facit, quæ in sceleribus obfirmati plerumque facere non solent; ex. gr. si injuste acquisita restituit; si, quas aliorum honori ac nomini aspersit maculas, delere studet; si cum inimicis in gratiam rediit etc. Hæc qui signa ostendunt, jure ac merito absolvendi sunt. Itaque iis absolutio non est deneganda.

101.

Ut absolutionis dilatio pœnitentibus sit utilis, et illi immodicæ severitatis specie non deterreantur, utiles hæ regulæ observentur: 1) Quandocunque fieri potest, verba fiant de dotibus, et necessitate veri doloris, verique propositi; exponatur, haud utilem esse datam sine vera præparatione absolutionem. Sed pœnitentem monens caveat, ne charitatis immemor, alios conscientiæ arbitros cavilletur. 2) Nunquam sine absolutione quispiam dimittatur, nisi prius convictus, ea se indignum esse agnoverit. Dum eidem fœda animi facies clare ante oculos constituitur, prudenti solertia eo adduci potest, ut ipse, quid ad meliorem vitæ rationem ineundam sibi faciendum sit, intelligat. 3) Ostendatur ei, quemadmodum improbus suas cupiditates pro eo, in quo est, statu coercere, quibusve remediis uti debeat. 4) Leniter, ac placide agatur cum eo, eique persuadeatur, omnia monita, et consilia nihil, nisi ejus salutem spectare.

102.

Contra hunc in sacro tribunali agendi modum quæ præcipue objiciuntur, facile possunt refelli, et quæ diximus, inde magis illustrantur. Ajunt enim: Hoc mo-

do pauci absolventur a culpis; quæ res faciet, ut Christiani a peccatis suis sacerdoti aperiendis deterreantur. His respondetur: Hoc agendi modo continget, ut quidam, quibus seria se emendandi voluntas non est, non adeo frequenter ad sacrum tribunal veniant; at ideo etiam pauciores quasi ludibundi in hoc religionis negotio versabuntur. Quod si omnes de hac re satis edocti essent, simulatores (*hypocritæ*) quidem, et inanem pœnitentiæ speciem præ se ferentes ad animæ medicos se non conferrent; verum in iis, qui accederent, verus inveniretur dolor, nec toties opus esset, regulis de neganda, aut differenda absolutione uti. Nam hic quæritur; uter agendi modus plus valeat, ut emendentur homines, officiisque suis respondeant; et usu compertum est, toties repetitis confessionibus, totiesque impertita absolutione eosdem non emendatos fuisse, non emersisse e scelerum cœno.

103.

Iis, qui dicunt, si sine absolutione dimissi, diem obirent supremum, eos perpetuo fore infelices, dilucide demonstrandum est, hos, si non rite præparati accessissent, etiam obtenta absolutione ad beatiorem in cœlo vitam non transituros; iisdemque in hoc casu a vera pœnitentia plus esse sperandum, quam ab absolutione præfestinata.

104.

Nonnulli opponunt tum illud MATTH. XVII. 21., ubi quærenti PETRO: *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?* respondit JESUS: *Non dico tibi: usque septies; sed usque septuagies septies*; tum aliud LUC. XVII. 3. seq. *Si peccavit in te frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit;*

dimittito illi: et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi. Verum loca ista ad hanc materiam referri nullo pacto queunt. Ibi sermo est de remittendis frequentibus injuriis, aut offensionibus, quas condonare Christiani a Christo jubentur. Ita saltem Ss. HIERONYMUS, et AMBROSIUS hæc loca explicant. *)

*) *Si peccaverit in nos frater noster, et in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, immo et necessitatem; quia præcipitur, ut debitoribus nostris debita dimittamus; si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii.* S. Hieronymus in h. l. *Pulchre posuit: Si in te peccaverit; non est enim æqua conditio; in Deum, hominemque peccare.* S. Ambrosius in h. l.

105.

Quodsi sacræ litteræ, ecclesiæ patres, conciliorum decreta affirmant, Deum pœnitentibus, *quacumque hora* ejus implorent misericordiam, peccata condonare; id semper de reapse sincere pœnitentibus affirmant, ad quos illa quæ diximus, non attinent. Nam de illis duntaxat loquimur, quorum pœnitentia simulata, aut verisimillime falsa est.

106.

At opponi potest: *Cum homo hominis animum nequeat perscrutari: cur judicium de pœnitentiæ sinceritate Deo, et pœnitenti non relinquamus? Cur non in ejus asseveratione acquiescamus? In omnibus casibus semper absolutionis formula pronuntietur. Dei gloria ideo non imminuitur; nec id quidquam religioni officit; si absolutio effectu caret. Si pœnitens eamdem petit, et de admissis peccatis serio non dolet, beneque præparato animo non accessit, ipse in culpa est; et sacerdos, quod*

muneris sui erat, *præstitit*. Inter ea, quæ contra commemoratas regulas dici solent, hæc in primis probabilia possunt videri. Verum, quin singulas has propositiones speciatim, et accurate excutiam, id tantum dicam, rem hanc longe alia, ac oportet ratione ab iis considerari. Pro certo enim hic ponitur, omnes, qui ad confessionem accedunt, satis superque intelligere, sine necessaria præparatione absolutionem sibi non prodesse; sufficientem ipsis scientiam esse, ipsosque satis idoneos, ut in se ipsos inquirant, et ideo nunquam fore periculum, ne eorum confirmaretur opinio, absolutionem etiam non pœnitentes ad sempiternam felicitatem ducere. Esto, pro certo hoc habeatur, quod tamen non conceditur: tum sacrum hoc negotium nihil esset, nisi ritus externus, et sacerdos absolutionis verba tantum pronuntiaret, tantumque bene precaretur confitenti; nec eam ageret personam, quæ ei sustinenda est. *)

*) "Meminerit confessarius, inquit *Rituale Romanum*, »se judicis pariter, et medici personam sustinere, ac »divinæ justitiæ simul, et misericordiæ ministrum a Deo »constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et »homines honori divino, et animarum saluti consulat." Qui copiosius edoceri cupit, inter alia legat hunc librum: *Doctrina de sacramento pœnitentiæ recte administrando tum eminentissimorum Cardinalium, tum illustrissimorum episcoporum dissertationibus, epistolis pastoralibus, decretis etc. explicata, et asserta auctore Trudperto Neugart, presbytero, Typis San-Blasianis.*

107.

Ut Christiani atrociora scelera magis aversentur, sæpe pontifices maximi, et episcopi casus quosdam excipiunt, in quibus subjectis ipsis sacerdotibus absolvendi potestas adempta est. Appellantur *casus reservati*. Rei

hujus caput ad jus ecclesiasticum pertinet. Nos tantum hæc animadvertimus: 1) Ut peccatum possit reservari, necesse est, ut in genere suo grave sit. Levia cur reserventur, causa non est. 2) Ut sit externe perpetratum. Si ea, quæ cogitando committuntur, reservarentur, perpetuis angoribus vexarentur hominum mentes. 3) Ut actus sit plene consummatus, sive ad exitum perductus, v. gr. homicidium tunc inter casus reservatos numeratur, quando mors revera secuta est. 4) In casibus dubiis, secundum universalem de legibus humanis regulam, locum habet mitior interpretatio.

108.

Summi pontifices, permulta sibi reservarunt. Hac in re considerandum est, an reservatio consuetudine contraria non sit abolita; an magistratu et politico, et ecclesiastico comprobante in diœcesi illa, in qua parochus est, rite fuerit promulgata.

109.

BENEDICTUS XIV. ut impediret, quo minus sacra exomologesis peccatis fœdis occasionem præberet, in *Bulla* in Germaniæ etiam diœcesibus recepta decrevit, sacerdoti, qui contra sextum decalogi præceptum turpi scelere se inquinavit, fas non esse, feminæ peccati sociæ confessionem, præterquam in extremo necessitatis casu, excipere, ipsique absolutionem impertire. *)

*) *In* Bulla, *cujus initium*: Sacramentum pœnitentiæ. *Omnibus et singulis sacerdotibus. . . . interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, deficiente tunc quoque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit,*

confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum decalogi præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, et jurisdictione... ita quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit.

110.

Arcana ea conditione, ut silentio tegamus, nobis indicta, foras efferre non licet. Id præcipue locum habet in sacro pœnitentiæ tribunali, ubi conscientiæ arbitrio arcanæ, magnique momenti res aperiuntur, ejusque fidei committuntur. Quodsi hominibus timendum esset, ne quid de illis ullo in casu proderetur, odio haberetur exomolegesis. Igitur nunquam licet, quidquam ex iis, quæ in confessione sacra sacerdotis fidei concredita sunt, ullo modo enuntiare.

111.

Etsi unusquisque jus bonæ famæ semper retinet, de hoc tamen jure in quibusdam casibus cedere licet. Quod si igitur universim licitum haud est, ea, quæ in confessione dicta sunt, extra confessionem ad usum ullum adhibere, fieri tamen cum pœnitentis consensu potest. Verum necesse est, ut hic consensus non quadam fortasse conjectura tantum nitatur; sed ut pœnitens *a*) aperte (*expresse*), *b*) sponte, non coacte consenserit.

112.

Cum omnia (§. 110.) summa fide celanda sint, quæ quacumque ratione, peccatorum per confessionem expiatio invisa ut sit, efficere possunt, manifestum est, silentio involvenda esse non graviora tantum scelera;

sed levia etiam delicta, vitia naturalia, errata sociorum sceleris, *) et adjuncta quaelibet, quæ ad confessionis integritatem pertinent etc.

*) Facultas *Parisiensis* anno 1765. solemniter hanc damnavit sententiam: *Si pœnitens aperuerit in confessione peccatum complicis sine necessitate; non tenetur confessarius occultare sub confessionis sigillo peccatum complicis, atque ita oportet illud manifestare pro bono communi, ut et alia secreta naturalia, modo tamen non innotescat pœnitens.*

113.

Multa disquisitione haud opus est, ad dijudicandum, quid faciendum sit, si in judicio interrogaretur sacerdos, nullamne delicti scientiam haberet, quod ei ex confessione tantum est cognitum. Etsi candide atque ex animi sententia ad interrogata est respondendum: pro certo tamen hic ponendum est ejusmodi interrogationem non attingere ea, quæ ex confessione sacra comperta habentur. Itaque citra culpam judici interroganti posset respondere, de ea re nihil constare sibi, atque hoc responsum jurejurando posset confirmare. Aliter res se haberet, si imprudens judex reapse interrogaret, nihilne de illo delicto in confessione cognovisset. Cum enim mendacia dicere haud liceat, judici aperte esset significandum, hunc in modum interrogare, ei non esse.

114.

Cum matrimonia ineuntur, parochum necessario adesse oportet, quippe quod concilium *Tridentinum* de hac re præcipit, id etiam constitutione cæsarea *) confirmatur, et *ad essentiam hujus contractus, tanquam conditio ad ejus validitatem omni modo necessarium*

præscribitur *ut consensus utriusque partis in matrimonium coram parocho ... exprimatur.* Ejus etiam est, solemni precatione sponsos matrimonio conjungere; sed hoc non adeo stricte est intelligendum, ut non alium substituere possit, *qui ipsius nomine matrimonium contrahentibus assistat. Si sponsus et sponsa non ad eamdem parochiam spectent* **) *sufficit consensum in matrimonium vel* coram *pastori sponsi, vel* coram *pastore sponsæ declarari.*

*) *Constitutio cæsareo-regia* 16. *Jan.* 1783. §. 29.

**) Ibid. §. 30. Prodivit hæc *Constitutio in causis matrimonii, quod attinet contractum civilem, ejusque effectus*, etiam Latine, *Viennæ* an. 1783. 8. mai. Typis *Jo. Themæ* nob. *de Trattnern.* Verba, quæ huc attinent, ut loqui solemus, *formulia* inde deprompsimus; et in sequentibus depromemus.

115.

Cum et religionis et reipublicæ plurimum intersit, matrimonia recte, atque ordine iniri, atque ex præfestinate, et non legitime contractis mala plurima oriantur: pastoris est, (Part. I. Sect. III. §. 166.) illos, qui matrimonii fœdere copulari volunt, aut possunt, cum occasio se præbet, necessaria doctrina instruere.

116.

Eos tantum matrimonio conjungendi parochus jus habet; qui in parochiæ suæ ambitu habitant. Quod si alieni ex aliis parochiis in eadem diœcesi, aut ex aliis diœcesibus matrimonio copulandi sunt, necesse est, ut illi facultatem a propio parocho, aut in altero casu etiam sic appellatum *testimonium libertatis* ab *Officialatu* illius

diœcesis, cui subjecti fuerunt (in qua habitarunt) exhibeant.

117.

Quantum temporis requiratur, ut peregrini, qui ex aliis diœcesibus ad parochi diœcesin migraverunt, in eadem domicilium habere existimandi sint, id a superioribus est decernendum. In rituum libro *Viennensi* pro iis, qui e vicinis diœcesibus venerunt, menses novem, qui e remotioribus, annus integer, qui e longe remotis, duo anni completi statuuntur. Si primi generis homines sunt, sufficere potest parochi testimonium, si ejus manum et sigillum esse constat. *)

*) *Rit Vienn. pag.* 309. 313.

118.

Eos, quibus domicilium stabile non est, errones, vagabundos, mendicos huc illuc oberrantes, suo arbitratu matrimonio jungere, parocho nequaquam licet.*)

*) "Quod . . vagos concernit; nullus parochus sub »quocumque prætextu aliquem vagabundorum citra nos»tram, aut nostri Officialis expressam licentiam denun»tiare, minus vero copulare præsumat." *Rit. Vienn. pag.* 123.

119.

Militiæ adscripti, qui ad *militiam vagam* pertinent, ab ordinario parocho conjugalis conjunctionis causa in peregrinorum numero habendi sunt. Hos enim proprius parochus castrensis matrimonio jungit. *Milites* *) *capaces, non sunt ad matrimonium ineundum, nisi permissionem scripto editam a legione sua, vel eo, ad quem spectabit, superiore prius impetraverint. Matrimonia*

contra hanc prohibitionem inita irrita non solum, ac invalida sunt; sed etiam, qui ea contrahent, uti nec minus parochi. . . . qui militem absque præscripta licentia junxerint, pœnas, pro circumstantiarum qualitate se daturos noverint. **) Nunc etiam pertinet tormentariorum domestica, quæ hucusque fuit, cohors. Cum, ait edictum Cæs. reg. ***) domestica tormentariorum manus in præsidiariam transierit. . . . ea jam non subest locorum parochis; sed sacræ militari jurisdictioni.

*) *Constitutio* 16. *Jan.* 1783.

**) §. 20.

***) 9. *Oct.* 1772.

120.

Quod milites attinet, quibus commeatus datus, sive alio interim abeundi, habitandique facultas data fuit; per edictum augustissimum *) id ceu norma commendatum fuit, quod *Viennensis* Cardinalis archiepiscopus cum augustissima comprobatione ad omnes parochos perscripsit, nempe: Cum militiæ Cæsareæ ratio id postulet, ut, siqui milites a legionibus cum commeatu dimissi matrimonium inire cupiunt, sponsa ante apud civilem magistratum fidem suam obliget, se per nullam unquam occassionem legionem, in qua ejus maritus militat, adituram esse: ideo parochi nullum ex his militibus matrimonio copulent, nisi antea parocho, ad quem hoc negotium attinet, a præfectura œconomiæ, aut loci domino litteræ, fidem suam mulierem obstrinxisse testantes, fuerint exhibitæ. Neque parochi ullum cum venia dimissum militem matrimonio jungant, nisi prius declaraverint, aut fidem suam obstrinxerit, suam se uxorem non derelicturum, præterquam cum ei ad expedi-

tionem bellicam, aut exercitii militaris tempore ad legionem est proficiscendum.

*) 20. *Febr.* 1780.

121.

Cæsareo-regia generalis militaris præfectura (dicit supremi consilii militaris aulici ordinatio *) petiit, ut, ne milites cum commeatu dimissi, exhibitis duntaxat litteris testibus suscepti baptismi, et inscia legione, matrimonio jungi possint, nomina eorum, qui cum commeatu veniunt (quibus præter litteras publicas, queis significatur cum licentia eos abesse, etiam dantur schedulæ de eodem argumento, quas quidem magistratui, cui sistere se tenentur, extradere debent: illis apud se retentis) adnotata legione, cui adscripti sunt, mox parochis epistola circulari (*currenda*) denuntientur; eisdemque una demandetur, ne ullum ex id genus dimissis absque prævia, exhibitaque legionis consensione matrimonio jungant. Quod quidem etc.

*) 20. *Febr.* 1780.

122.

Milites emeriti (*invalidi*) in pagis, oppidisve degentes, quibus per litteras parentes sustentatio statuta est, uxores ducere si volunt, (ex edicto 25 Junii 1771.) aut a *Viennensi* invalidorum curam gerente administratione, aut in provinciis a *Commissariis*, et ubi nulli sunt, a generali præfectura militari illius provinciæ testimonium ut afferant, necesse est, quod denuo 1784. ab inferioris Austriæ *Regimine* (gubernio) severissime mandatum fuit. Subditi alieni a territorii magistratu testimonium si non exhibeant, matrimonio conjungi nequeunt. *)

*) *Edictum datum Bohemis* 1. *Nov.* 1781.

123.

Quantum ad subditos in terris *hæreditariis*, qui nulla habita facultate abierunt, sanxit Imperator, *) "ut »*a*) qui ultra annos decem in Germaniæ provincia *hæreditaria* aliqua alia, quam ea, in qua, ut fit, secundum »familiæ suæ originem conscripti sunt, morati fuerint, »commodeque de victu sibi provideant, utanturque solida aliqua se sustentandi ratione; *b*) qui in eodem »loco nuptiis jam semel fuerint illigati; *c*) qui ætatis »annum quadragesimum excesserint; *d*) qui haud amplius sint idonei ad bellum, vel militiam, neque applicari queant rei vehiculariæ militari; et qui *e*) de id »genus *circumstantiis* omnibus testes litteras a *Commissariis* provinciæ militaribus attulerint: eis in loco, ubi »nunc morantur, opus haud sit litteris, quo magistratus, unde discesserunt, testatum faciat de facultate »emigrandi. Quod edictum augustissimum universis animarum pastoribus cum hoc additamento publicandum »est istiusmodi videlicet subditos, qui in aliis sunt: »oriundi terris hæreditariis, in quibus conscripti fuere, »si alibi contrahere matrimonium cupiunt, et quoad »præscriptas conditiones reliquas vere tueri se valeant, »ut certo experimento constet, esse eos ad obsequia »militaria haud aptos, in casibus singulis ei, quæ hic »est, militaris conscriptionis commissioni ut se sistant, »a provinciarum regimine aut gubernio adigendos esse."

*) *Edict.* 1. *April.* 1786.

124.

"Dum sponsalia aut matrimonia a nostris subditis in terris alienis contrahuntur, hæc duntaxat ser-

»vanda sunt: *a*) Sponsalia a nostris subditis, in ter-»ris alienis quibuscunque, inita, nostris n terris irrita »sunt, ac invalida. *b*) Minorennes, subditi e terris nos-»tris hæreditariis, ac ii, qui sub signis nostris stipendia »merent, aut ad militiam referuntur, in terris alienis »contrahere matrimonium, quod in terris nostris valeat, »haud aliter possunt, quam si secundum præscriptum »nostræ constitutionis de causis matrimonii minorennus »consensum patris, vel avi, vel eorum in quorum tutela, »vel potestate sunt; et si de his, qui ad militiam spec-»tant sermo est, si facultatem id agendi a legione, co-»horte, aut iis, qui his cum potestate præsunt, obti-»nuerint. *c*) Si, quæ in Constitutione de causis matri-»monii §§. 10. 11. 13. 17. 18. 19. 21. statuta sunt im-»pedimenta, locum habent: subditi nostri in regione »aliena inire haud possunt matrimonium, quod in ter-»ris nostris sit validum. *d*) Omissio denuntiationum, aut »in constitutione de causis matrimonii præscriptarum ea »in re dispensationum efficit, ut matrimonium a nostris »subditis in terra aliena initum haud valeat in terris nos-»tris; si in ea regione, ubi matrimonium est contrac-»tum, denuntiationes requiruntur; aut si nostri subditi »dispensationes secundum terræ illius statuta necessa-»rias, modo illa in regione præscripto, non obtinue-»rint. *e*) Quantum ad modum celebrandi nuptias; sub-»diti nostri, qui matrimonia in terris alienis contra-»hunt, non tenentur præscriptionibus nostræ constitu-»tionis de causis matrimonii; sed sufficit: si leges ser-»ventur illius regionis, ubi nuptiæ celebrantur." *)

*) *Edict.* 16. *Sept.* 1785.

125.

Matrimonium validum ut sit, ceu omnino necessaria conditio præscribitur, ut mutuus in conjugium con-

sensus coram duobus testibus declaretur. Hic curandum est, ut adhibeantur testes, non obvii quique; aut qui omnino incogniti sint, et qui, si difficultates oriantur, aut res ipsa postulat, authenticum testimonium reddere nequant. *)

*) *Testes pro copulatione non quosvis obvios, sed vel sibi bene notos, et de fide probatos, aut possessionatos, qui de testimonio a se dato, re sic exigente, respondere possint, admittant.* Rit. Vienn. pag. 368.

126.

Præcipua parochi in hoc sponsos conjungio copulandi negotio cura hæc sit, ut nihil obstet, quo minus contractus conjugalis validus sit. Cum igitur omnes de rebus ad matrimonium attinentibus leges, quæ ad hoc usque tempus viguerunt, per augustissimam constitutionem 16. Jan. 1783. abrogatæ sint, pastori, ut dijudicet, an nihil impediat, quo minus matrimonium validum sit, et an per politicas, quæ nunc vigent leges, conjugii fœdere sponsos copulare liceat, hæc constitutio *) ceu *unica et sola norma, ac regula* spectanda est.

*) *Differentia, quæ hic inter contractum et sacramentum statuitur, non est nec consideratione digna magni momenti est. Si de impedimento, quod matrimonium invalidum reddit, sive dirimit, sermo est, id tantum ad contractum pertinet. Verba hæc:* Impedimentum dirimens sacramentum, *quid sibi velint, recte intelligi vix potest. Secundum principia universaliter recepta ad sacramentum requiritur. materia, forma, minister. Materia hic est contractus civiliter validus. Nemo inficiatur, ecclesiam ratione materiæ nihil posse mutare; ut sacramenta instituendi potestatem non habet. Ita ecclesia impedire nequit, quo minus validus sit*

baptismus, si affunditur aqua, et formula baptismi pronuntiatur. Igitur etiam ecclesia efficere nequit, ut conjugibus non conferatur sacramentum, si contractus est validus: et alia ad sacramentum necessaria adsunt. Utrum vero contractus validus sit, nec ne, a potestate seculari, ut patet, est dijudicandum. Quamdiu igitur non conceditur, ecclesiæ proprium esse potestatem, impedimentum contractum dirimens statuendi, etiam impedire nequit, ut sacramentum validum non sit in iis, qui consensum secundum civiles leges validum præbuerunt. Hæc dicta sunt ad illorum pastorum animos tranquillandos, qui dubitare possunt, utrum desponsatos cum impedimento abolito jungere matrimonio liceat; licet episcopus non postulet, ut dispensationem ab eo petant.

127.

"Ex quo prodivit in lucem constitutio de causis matrimonii; plures, ut fertur, qui sanguine propius sibi juncti sunt, præsertim ruri dispensationem petierunt in illo impedimento, ad id agendum errore inducti, ratique, dispensationem hujusmodi, non obstante nova constitutione de causis matr., obtineri posse; quo quidem errore pariter factum est, ut sæpe illicito commercio uterentur. Ergo jussit Imperator, *) per Ordinarios universis parochis, et curam animarum habentibus demandari, ut suis parochianis, si casus obtigerint, constitutionem de causis matr. rite explicent, ejusdemque præscripta in concionibus intelligenter edoceant; ut et repetitis supervacaneis petitionibus, et pœna dignis transgressionibus eo certius sese abstineant."

*) *Edict.* 19. *Julii* 1784.

128.

Impedimentum e promisso matrimonio sive sponsali-

bus ortum, quod impedimentum publicæ honestatis appellabatur per cæs. reg. edictum *) omnino sublatum fuit; etiam in casu, quando matrimonii promissio cum imprægnatione fuit conjuncta. "Cum (ita fert cæs. edictum) spon»salia neque reipublicæ, neque privato cuipiam utilia sint; »sed perniciosa potius utrique, habita ratione conju»giorum haud satis libere initorum; mandamus ac san»cimus: 1) Quæcumque sponsalia, id est, eos con»tractus, quibus vir et mulier prævie, mutuo se obli»gant ad matrimonium invicem contrahendum, inde a »die publicatæ hujus legis penitus abolemus. 2) Quod »si tamen hujusmodi sponsalia inirentur: declaramus, »esse ea (quacumque ratione expressa sint, aut quibus »demumcunque solemnitatibus sint instructa) destituta »omni vi obligandi, neque alium vel minimum effec»tum jure sortiri. 3) Eo minus impregnatio facta, post »datam de ineundo matrimonio promissionem, obliga»tionem pariat ineundi matrimonii cum imprægnata, sed »istiusmodi imprægnatio ei plane similis reputetur, »quam sponsalia haud præcesserint. 4) Omnes contrac»tus conjugales in posterum ita ordinentur: ut post»quam N. N. matrimonium cum N. N. inire constituit, »de sequentibus conditionibus inter ipsos convenerit, »quæ precatione sacerdotali secuta demum vim ple»nam sortiantur."

*) *Edict.* 30. *Aug.* 1782.

129.

"Cum in nova constitutione matrimonium attinente »(§. 2.) disserte asseratur, eos omnes *contractum ma»trimonialem*, *iniri posse*, qui mox dicta constitutione »aperte *non declarantur incapaces* · sequitur, quoniam »ibi de cognatione spirituali nulla facta est mentio, »etiam hoc a civili potestate antea statutum, induc-

»tumve impedimentum dicta constitutione sublatum »esse." *)

*) *Edict. aulicum* 30. *Jan.* 1784.

130.

Quod si impedimentum e diversitate religionis ortum attinet; *) *matrimonia inter subditum cæs. reg. christianæ religioni addictum, et alium christianæ religioni non addictum, nulla, ac invalida* declarantur. Itaque parochus ejusmodi matrimonium sua præsentia nullo respectu confirmare potest.

*) §. 10.

131.

Ætate minores, sive *minorennes* *) ad paciscendum de matrimonio inhabiles sunt, nisi *legitimi patris, aut, eo deficiente, avi paterni* consensum obtinuerint. Itaque parocho in casibus dubiis, ut testimonium suscepti baptismi sibi exhibeatur, et de necessario hoc consensu, si revera ætate minores sunt, certus sit, curandum est. Quodsi hic consensus injuste denegatus est, exhibendus ab iisdem est consensus judicis. **) Si ætate minoribus vivente patre aut avo, alius *tutor constitutus* fuerit, etiam hujus requiritur consensio. ***) *His vero inter se dissentientibus, judex decernito.* Patre, et avo mortuis, præter tutoris consensum, etiam *judicis approbatio* necessaria est. ****)

*) *Constitutio de causis matr.* §. 3.

**) *Ibid.* §. 5.

***) *Ibid.* §. 7.

****) *Ibid.* §. 8.

132.

Cum *) *Viro, qui feminam in matrimonio jam habet, aut feminæ, quæ viro nupta est, durante hoc matrimonio vetitum sit ad alteras nuptias convolare*: parochus, si quæ sunt, quæ vel minimam suspicionem moveant, ut, quid rei sit, certo comperiat, operam det. *Quod si* itaque **) *personæ, quæ matrimonio jam olim junctæ fuere, ad secundas nuptias transire voluerint, ad easdem, nisi mors prioris conjugis in loco, ubi celebrandæ sint, publice nota sit, prius non admittantur, quam de morte prioris uxoris, vel mariti legitime docuerint.*

*) *Constit. laud.* §. 11.

**) *Ibid.* §. 12.

133.

Quæ causæ consensum, eæ contractus quoque valorem impediunt. *) *Quapropter mente capti matrimonium inire non possunt, nisi lucida habeant intervalla, in quibus status conjugalis jura, ac onera dignoscere valeant. Mutis vero, ac surdis, qui consensum signis exprimere possunt, nihil obest, quo minus matrimonium valide contrahant.*

*) *Ibid.* §. 24.

134.

Cum *) sit *invalidus matrimonii contractus, si error in persona, quacum initus fuit, intercesserit,* qui pertinet ad substantiam contractus, vel *qualitatem* attinet, *quæ totam in essentialibus personam immutet, et consensus ab una parte ad eam qualitatem expresse*

restrictus fuerit; altera vero pars eamdem dolo malo simulaverit; parocho, si ipsi de hac re jam ante initum matrimonium constat, providendum est quam maxime, ne hujusmodi matrimonium ineatur, ut non in partem veniat illorum malorum, quæ postea errore detecto inde sequi consueverunt.

135.

Ex eadem causa ejus officium est, impedire connubium, si forte novit, feminam..... *e re cum tertio habita uterum gestare, quin sponsus de hac circumstantia aliquam cognitionem habuerit: hic enim, si, quamprimum de precedenti imprægnatione sibi constare cœpit, eam judici denuntiet, ac demostrare possit, se illam, dum conctratum iniret, penitus adhuc ignorasse*, contractus conjugalis invalidus declaratur. *)

*) §. 26.

136.

Feminam vi abreptam cum raptore matrimonio copulare parochus nequit; si adhuc est in raptoris potestate, atque libere non potest consentire. *Nam*, ut habet constitutio de causis matr. *) *ei, qui feminam rapuerit, matrimonium cum eadem valide contrahendi nullum jus esto.*

*) §. 17.

137.

Pariter *) *incapaces erunt adulter, ac adultera ad matrimonium inter se valide contrahendum; si quidem de commisso adulterio ante initum inter ipsos matrimonium coram judice rite constiterit.*

*) §. 18.

138.

Homicidium conjugis proposito sibi matrimonio obstantis etiam impedit, quo minus validus sit contractus conjugalis: *neque interest, sive quis ipsemet cædem, vel alius ipsomet instigante patraverit, neque sive delictum utriusque consensu, vel ab uno solum, altero nec sciente, nec volente commissum fuerit.*

*) §. 19.

139.

Matrimonii impedimentum e consanguinitate ortum *) *in linea ascendente et descendente* omnes comprædit *in infinitum. Inter collaterales vero prohibitio ista se non ultra extendit, nisi inter fratrem et sororem, inter fratrem ac ipsius ex fratre vel sorore neptem, inter sororem ac ipsius ex fratre vel sorore nepotem, ac denique patrueles, et consobrinos. Inter dictos vero cognationis gradus incapaces sunt non solum fratres, ac sorores ex iisdem parentibus orti, sed etiam, qui solum patrem, vel solam matrem communem habent: uti quoque non solum ii, inter quos cognatio per vinculum legitimum, sed etiam inter quos per copulam illegitimam intercedit.* **)

*) §. 13.

**) §. 14.

140.

Affinitas quoque proximos affines *) *ad nuptias inter se ineundas incapaces efficit; incapacitas vero hæc ad eas solummodo personas restringitur, de quibus* §§. 13. 14. *dictum est; adeoque viro haud licebit dictis*

ibidem uxoris suæ consanguineis feminis, neque feminæ dictis ibidem mariti sui consanguineis viris matrimonio jungi.

*) §. 15.

141.

Reliquos omnes secundum §§. 139. et 140. hoc interdictum non complectitur. Itaque omnibus cognatis, et affinibus in transversa linea in eodem §. non expressa nominatis matrimonia inire licet; nec ideo necesse est, ut apud magistratum politicum id indicent. *)

*) *Edict. cæs. reg.* 6. *Maii* 1783.

142.

Quoniam vero casus evenire possunt, in quibus ob causas graves matrimonium inter eos, quorum consanguinitas, aut affinitas conjunctionem impedit, validum declaratur, et in impedimento dispensatur, parochi est, curare, ut de legitima dispensatione reddatur certus, et iis, qui consilium ab eo petunt, recta consilia dare. Cum tantum is, cui impedimenta statuendi potestas est, eadem etiam in casibus singularibus tollere possit, ab eodem etiam, matrimonium validum ut sit, petenda est dispensatio. *Quod si* igitur *) *in casu singulari graves admodum causæ adessent, quæ matrimonium inter personas consanguinitatis vel affinitatis impedimento constrictas concedere suaderent, casus ejusmodi* Augustissimo tribunali *semper exponendus erit; et nonnisi post impetratam permissionem, ecclesiasticum forum adire liberum cuique erit.*

*) §. 16.

143.

Quæstioni: penes quem sit, decernere, quid sit

agendum, occasione constitutionis de causis matrimonii, emergentibus casibus; occurrit edictum augustissimum, *) quo declaratur, "eos casus, ubi agitur de »dispensatione in impedimento, quod vi dictæ constitutionis dirimens est, spectare ad politicum magistratum (*regimen provinciæ*, *gubernium etc.*) alios vero »casus, ubi in illa constitutione fit mentio judicis, aut »judicii, civilem solum judicem designari, eumdemque »in omnibus hisce casibus eo magis interpellandum esse; »quod non sint, nisi casus istiusmodi, ubi de contractu »civili excitari lis posset, aut iniri compositio."

Edict. aulicum 2. *Aug.* 1783.

144.

Verum homines religiosæ, et anxiæ conscientiæ, *) qui in gradu per constitutionem 16. Jan. non prohibito ab episcopis ditionis hæreditariæ dispensationem petere volunt **), quo minus id faciant, pastor impedire, aut iisdem dissuadere nequit; præsertim cum in eadem constitutione episcopi jubentur, petitam dispensationem nunquam negare, eamque gratis impertire. ***)

*) *Edict. Cæs. reg.* 6. *Martii* 1783.

**) *Ut missis ambagibus, compendio res ageretur, concessit archiepiscopalis* Ordinariatus (*epistola encyclica* 22. *Maii* 1785.) *parochis, et* capellanis localibus *potestatem, dispensandi gratis* in tertio et quarto gradu simplici, et mixto consanguinitatis, et affinitatis; *non solum comparate ad pauperes; verum etiam ad nobiles, ac divites.*

***) *Universe Augustissimus jussit, insinuandum esse Ordinariis, ut, quin emittant pastoralem epis-*

tolam constitutionem de causis matrimonii publicatam, in toto ambitu suo accuratissime observent, et, sive spectes matrimonia, quae vi hujus legis invalida sunt, sive consideres quae ejusdem legis praescripto valida esse declarantur, summa cura sibi caveant ab omni culpa aut suspicione excitatae collisionis, suosque parochos, animarum curatores ac concionatores jubeant, eadem praescripta sequi. Vien. 11. *Aug.* 1783.

145.

Impedimenta vero *juris canonici occulta extra matrimonium orta*, ex augustissimo statuto *) inter civilia impedimenta non numerantur. Itaque dispensatio non a potestate civili; sed tantum ab episcopi curia (*ordinariatu*) est petenda. Augustissimus Imperator declaravit, non esse, quod potestas civilis in impedimenta oculta matrimonium contrahere cupientium se ingerat; sed episcopis jus integrum permanere, atque in ejusmodi casibus ad forum pœnitentiæ esse recurrendum. **)

*) 13. *April.* 1783.

**) 10. *Jul.* 1783.

146.

Ex his, quæ commemoravimus, satis intelligitur, quæ parochi partes sint, cum ante connubium impedimentum aliquod detegitur. Si nulla omnino causa subest, cur hujusmodi homines in connubii fœdus conveniant, atque ideo nulla dispensationis spes affulget, eisdem dissuadetur matrimonium. Quodsi causam non deesse existimant, mittentur eo, ubi oportet petere dispensationem. Cæterum gravesne illæ causæ sint, parochus sollicite ut investiget, non est necesse. Inquirendum enim est iis, ad quos pars utraque dispensationis causa ablegandа est.

147.

Gratam operam locabit parochus consilii causa eum adeuntibus, dum eos edocebit quid dispensationem petentibus sit agendum; ne forte ob aliquod erratum cum repulsa dimittantur. Rei cardo in hac petitione vertitur in his; *a*) ut, quid rei sit, dilucide definiatur, recteque, ac vere proponatur: *b*) causæ moventes distincte afferantur: *c*) universim inutilis prolixitas, et obscura brevitas vitandæ sunt. Itaque pro alio impedimentum non est allegandum, et, ubi plura concurrunt, singula speciatim sunt exprimenda.

148.

De proclamatione, sive de nuntiationibus sponsorum distincte, et determinate loquuntur cæsareo-regia edicta. *Matrimonium* *) *antequam contrahatur . . . die dominico, vel festo de præcepto, hora sacri sermonis, vel saltem cum frequens satis populus in templo adest, promulgari debet. Quo actu nomen et cognomen, locus natalium, et conditio . . . distincte indicanda; eademque promulgatio duobus adhuc diebus dominicis, aut festis iteranda est, ut quilibet sufficiens tempus nanciscatur, intra quod impedimentum matrimonii sibi forte notum debito modo manifestare queat.* Etiam additur, an prima, secunda, tertiave denuntiatio sit. In quibusdam etiam locis exprimitur; si una aut altera denuntiatio fuit remissa.

*) *Constitutio de causis matr.* 16. *Jan.* 1783. §. 31.

149.

" Matrimonia acatholicorum *) etiam in catholicis

» ecclesiis parochialibus, ad quas spectarent, habita » ratione domicilii, catholici si essent, æque ut in suis » oratoriis ter proclamentur; tum ut ab acatholicis non » adeo facile conjugia inirentur, queis fortasse tanti » momenti impedimenta obstant, de quibus vicini ca- » tholici, quibuscum et inter quos vivunt, sæpe melius » instituti sunt; tum ut libri parochiales, quibus inscri- » buntur nomina eorum, qui matrimonii fœdere jun- » guntur, queisque continetur notitia generalis de ma- » jore, minoreve populi numero, a parochis continua- » ri possint eo majore fide, ac certitudine. »

*) *Edict. aul.* 10. *Maii* 1784.

150.

Cum *interpellationum*, quæ intra denuntiationum tempus fiunt, non semper amor justitiæ; sed odium, malitia, lucri studium etc. causæ sint: parocho, si quis matrimonio sese opponit, hæc incumbit cura, ut ipsi ostendat, quantis incommodis ipse se exponeret, si argumentis firmis rem non posset demonstrare; deinde ut etiam ab eo nomen suum, et characterem scriptis consignatum petat, ut sponsis constet, quem judicio possint persequi, atque ut homines nequam deterreantur, ne levi ex causa matrimonia conentur impedire.

151.

Si sponsi ad diversas parochias pertinent, *) *trina promulgatio in utriusque parochia fieri debet: sique alterutra pars in districtu parochiali, ubi actu degit, per sex hebdomadas nondum morata fuerit, promulgatio in illa etiam parochia, ad quam prius pertinebat, peragenda est. Quoties promulgatio in pluribus parochiis facienda erit, parochus.... in cujus præsentia matrimo-*

»*et capellani locales, exhibito sibi testimonio de dis-*
»*pensatione a seculari potestate in denuntiationibus ob-*
»*tenta, ac de jurejurando, quo sponsi asseverant, sibi*
»*haud constare de quopiam impedimento in constitutione*
»*de causis matr. expresso, absque reluctantia matri-*
»*monio assistant et etiam nomine* Ordinariatus *sponsos,*
»*si dispensationem ecclesiasticam fors peterent, in pu-*
»*blicis denuntiationibus, quin quid obstet, gratis*
»*dispensent.*"

157.

Occulta, sive, ut appellantur *matrimonia conscientiæ*, *) cæsareo-regio edicto ita sublata sunt, ut omnibus denuntiationibus, omnibusque aliis e contractibus oriri solitis obligationibus, ut omnia alia matrimonia, omnibusque his contractibus appositis conditionibus subjecta sint. Postea vero **) "Cæsareæ Majestati placuit, »supra commemoratam expresionem ita declarare, eam»dem nullo modo ita interpretandam esse, quasi in hu»jusmodi occasionibns liberum esset parentibus, ob libe»rorum suorum hæreditatem, aut suum nomen in quid»quam, quod eis damno esset, aut agnatis commodo, »consentire; id enim iis, quæ in promulgata de matri»monio constitutione clare continentur, repugnaret."

*) *Edict. Cæs. reg.* 11. *Junii* 1783.

**) 14. *Aug.* 1783.

158.

Major difficultas est, si inito matrimonio detegitur impedimentum. Ante omnia hic discernatur, utrum illud publice notum jam sit, aut brevi futurum, an vero occultum manere possit. In casu primo conjugalis consensus coram parocho, et testibus etiam publice esset

renovandus, si ambo non abnuerent dispensationem petere, eamdemque etiam obtinerent. Sin vero latere potest, clam, quoad fieri potest, matrimonio iterum conjunguntur.

159.

Præterea discernendum diligenter est, an matrimonio junctis ante connubium notum fuerit illud impedimentum; an non. In priori casu matrimonium declaratur invalidum, et, ut fieri potest, providendum est, *ut, qui olim fuere conjuges, simul habitare desinant, et suspecto cuivis commercio inter ipsos aditus præcludatur.* Atque ut in casibus notis (*notoriis*) animos ad hoc intendant judices, mandat augusta constitutio. *) Si autem *matrimonium ob quoddam inter conjuges revera intercedens, ipsis autem antea ignotum impedimentum invalidum sit; illud semper pro eo, ac fieri poterit, secreto tollendum est.* **) Quod si forte impedimentum ipsis conjugibus adhuc incognitum, quocumque modo detectum fuit, diligentissime perpendendum est, an non inde consequerentur mala, si statim id iisdem indicaretur. Hoc si prævideatur, conjugibus illud tantisper celetur; donec occulte impetretur dispensatio, si, ut conjuncti maneant, utile existimatur.

*) *Constitutio de causis matr.* §. 41.

**) *Ibid.* §. 42.

160.

Secundum constitutionem cæsareo-regiam *) interdum conjuges separandi sunt; si *iidem ante separationem coram judice, vel foro suo competente compareant, et.... certum faciant, quod ad separationem uterque sponte consentiat, factisque inter se conventionibus omnino acquiescat.* Interea *) *ambo conjuges, antequam coram*

judice, vel foro separationem declaraturi compareant, parocho..... suo consilium suum ipsimet aperiunto; hic vero eosdem de conscientiæ obligatione graviter admoneat, atque omni modo reconciliare animos studeat, neque prius, nisi postquam hortando, et consulendo nil profecerit, scriptam attestationem edat, eaque fidem faciat, se imposito sibi per hanc legem officio satisfecisse; attamen vel separationem sibimet æquam videri, vel partes a suscepto consilio omni licet opera a se adhibita desistere non voluisse.

*) *Constitutio de causis matr.* §§. 45. *et* 46.

**) *Ibid.* §. 47.

161.

"Matrimoniorum indices (catalogi) et ratione pu„blicæ administrationis, et singularum familiarum mag„ni momenti res sunt. Ex iis respublica utilem haurit „notitiam, utrum matrimoniorum numerus augeatur, an „minuatur; familiis vero in multis dubiis sunt certa do„cumenta, et non raro fundamenta judicialium decisio„num, ad quæ in judiciis dijudicantur illa, e quibus „civium, multorumque propinquorum felicior, aut in„felicior status pendet. *)" Igitur parocho liber, cui matrimonio junctorum nomina inscribantur, ad formulam sive exemplar huic edicto adjectum est conficiendus.

*) *Editum Cæs. reg.* 20. *Febr.* 1784.

162.

In eo, ut edictum augustissimum præcipit, hæc notentur capita (*rubricæ*): Annus, mensis, dies, quo matrimonio conjuncti, ædium numerus, nomen in bap-

tismo inditum, et cognomen sponsi, religio, ætas, utrum matrimonio nondum junctus, an viduus: sponsæ nomen datum in baptismo, cognomen, religio, ætas, utrum innupta, an vidua, prænomina, et cognomina testium, status.

163.

Quæ ad sponsum, et sponsam attinent *) ab eo, qui matrimonio illos conjunxit, inscribuntur. Testes vero, si norunt scribere, manu sua suscribant; et si nesciunt, scholæ magister, aut quicumque alius eorum loco inscribat. Illi vero eorum loco inscripta cruce, aut alio signo, manu sua, ut in testamentis, aliisque contractibus fieri solet, confirment.

*) *Edict. Cæs. reg.* 20. *Febr.* 1784.

164.

In fine cujusque paginæ in matrimonio conjunctorum indice parochus manu sua subscribat. Quodsi non ipse parochus sponsos matrimonio conjunxit, in quolibet casu, qui illos conjunxit, speciatim subscribit. Cooperator ordinarius subscribens tantum addit: *Cooperator.* Sin vero alius sacerdos parochi loco eos copulavit, addendum est, se a parocho facultatem obtinuisse.

165.

De diversis, consuetisque benedictionibus generatim hæc notentur: 1) Usurpentur tantum ubique receptæ, et probatæ; novæ ne excogitentur; et quidquid superstitionem redolet, ne adhibeatur. 2) Doceatur populus, quæ illarum virtus, quæ effecta, quæ sæpe longe majora, quam revera sunt, mente concipiuntur. 3) Quæ proprie ad parochos pertinent, distinguantur ab illis, quæ tantum episcopis propriæ sunt.

166.

Edicto augustissimo præcipitur *) ut non tantum quibusdam adhuc locis consuetæ statis diebus benedictiones panis, et vini, candelarum, seminum, fructuum; item benedictio *S. Vincentii*, et sublatarum confraternitatum absolutio generalis universe aboleantur, nullæ denuntiationes benedictionum calendario ecclesiastico inferantur; sed etiam seculari, et regulari clero hujus civitatis mandetur, ne alia benedictione, aliave absolutione generali utantur, quam quæ conceptis verbis in *rituali Romano* præscriptæ sunt.

*) 5. *Martii* 1784.

167.

De supplicationibus, sive processionibus per Augustissimum hæc fuere mandata. *) Numerus processionum, nimium multiplicatus, imminuatur, atque ab episcopis ditionum Austriacarum præter consuetas processiones in diebus rogationum in unaquaque parochia duæ tantum quotannis permittantur. Istæ autem, ne derogent divino cultui publico diebus dominicis celebrando, non habeantur nisi in die quodam festo ex his, qui retenti fuere (qui adhuc solemniter aguntur.) Notandum tamen, dictas processiones in feriis rogationum, ac theophoricas; sique alias Ordinarius judicaret præscribendas esse processiones ad pluviam, uberem messem, aut occasione necessitatis publicæ ad beneficium quoddam aliud efflagitandum, earum numero non comprehendi.--Denuo edicto augustissimo **) non solum in civitate, sed etiam ruri præter processionem in festo theophoriæ seu corporis Christi, ac solitas supplicationes in diebus rogationum, omnes processiones aliæ vetitæ sunt.

*) 27. *Dec.* 1782.

**) 6. *Jul.* 1785.

168.

Prohibitæ præterea sunt *) non tantum omnes processiones extra provincias hæreditarias; sed illæ etiam, quando intra has provincias alicubi est pernoctandum; item omnes processiones ad ædem *Mariæcellensem* in omnibus provinciis hæreditariis sublatæ sunt. **) Fundationes, siquæ sunt destinatæ processionibus in loca dissita, aut ad ecclesias etiam propriores; sed majore numero, quam leges ferant, utilissime mox convertantur in commodum educationis juventutis; cum usus hujusmodi Deo longe aceptior sit, quam solemnitates processionum; cumque processionibus lege sublatis, fieri non possit, ut mens te tatorum impleatur, hunc in modum declaranda est, probandaque hujusmodi commutatio. ***)

*) *Edictum cæs. reg.* 11. *Apr.* 1782.

**) 30. *Aug.* 1783.

***) 3. *Jan.* 1783.

169.

Cum vero hoc edictum quibusdam in locis hunc in modum fuerit elusum, quod crediderunt, orantium, et ad locum quemdam una proficiscentium hominum catervam, prælato etiam crucis signo, aut vexillo, et quodam in præces præeunte, si parochus, aliusve eos ducens clericus non adsit, veram reapse processionem non esse, atque ideo sub commemorato edicto comprehen-

sam non esse ... ideo Cæsarea Regia Majestas omnes peregrinationes, et procesiones ordinario parocho non comitante, ex hoc tempore universe et expresse prohibendas esse jussit. *)

*) *Circulare rescriptum* 21. *Martii* 1774.

170.

Decreto augustissimo *) est imperatum, ut, quæ hactenus ruri fuerunt permissæ in singulis parochiis processiones annuæ, in omnibus diœcesibus ditionum hæreditariarum aboleantur, et earum loco introducantur eæ *devotiones* quatuor temporum, quæ hic in civitate primaria loco processionis quatuor temporum haberi sólent. **)

*) 8. *Martii* 1785.

**) *Idcirco* (dicit hac de re *Viennensis* Consistorii ordinatio 1. Apr. 1785.) *parochi èt capellani locales diebus dominicis quatuor temporum coram exposito Sanctissimo preces persolvendas unius horæ spatio sive ante, sive post meridiem, quin consueto, solemni ac publico divino cultui quidquam detrahatur, præeunte ipsomet animarum curatore, ut in æde summa ad* S. Stephanum *solemne est, introducant, selecta ejusmodi horâ, quæ communitati opportunior fuerit, minusque impedita. Curent autem, ut comprecationem istam quatuor temporum prævie e suggestu annuntient, populumque excitent, ut frequens, ac numerosus adsit.*

171.

Ex his, quæ de cura externi Dei cultus a curatore animarum gerenda universe dicta sunt, perspicuo ap-

paret, quid sit a parocho observandum comparate ad supplicationes. Nimirum 1) augustas constitutiones ea de re editas accurate observet, ac ut a suis observentur, moneat. 2) Curet, ut in supplicationibus permisis recto ordine, et laudabili pietatis exemplo cuncta agantur. 3) Doceat populum, quem in finem habeantur. 4) Moneat, ne nimiam, ut plerumque fieri solet, in sacris peregrinationibus spem collocent, etc.

172.

Mandavit imperator, *)ut gradium vexillorum loco, minora aut consueta ecclesiarum vexilla, quæ homo unus facile, ac absque socio, et circumstantium periculo, vento violentiore spirante, ferre possit, seligantur, adhibeanturque. Præterea singularia vestium genera, præcinctoria, altæ pennæ in pileis, et cassidibus vexilla gestantium, una cum musicis vexilla antegredentibus universim in omnibus cujuscumque generis procesionibus publicis prohibeantur.

*) 16. *Maii* 1781.

173.

Ad hæc, augustissimo edicto *) vetitum est universim, ne in processionibus permissis circumgestentur statuæ. Et ordinatione Regiminis provinciæ **) est cautum, ut ad uniformitatem servandam in permissis supplicationibus et processionibus, excepta theophorica, Sanctissimum non circumgestetur, neque decantentur evangelia.

*) 20. *Aug.* 1783.

**) 30. *Sept.* 1785.

gris viribus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur. Sed si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam sacramenti, non inungantur; nisi periculum tollatur omnino. Rit. Vienn. pag. 204.

179.

In eodem morbo, durante eodem mortis periculo, unctio, ut nunc consuetudo fert, non iteratur. At si convaluit ægrotus, et denuo in vitæ discrimine versatur ea repetitur. *) Utrum ante, an postquam Christi corpore pasti fuere ægroti, ungendi sint, ex ipso usu, et ritualis diœcesani præscripto statuendum est. **)

*) *Quodsi infirmi*, inquit conc. *Trid.* Sess. XIV. de extr. unct. cap. 3. *post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt; cum in aliud simile vitæ discrimen inciderunt.*

**) *Si tempus, et infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem pœnitentiæ et eucharistiæ sacramenta infirmis præbeantur.* Rit. Vienn.

180.

Defuncti post mortem cum quibusdam ceremoniis, et precibus terræ mandantur. Destinata ad hoc loca appellantur cœmeteria; *) suntque peculiariter in hunc usum benedicta. Fas non est, ulli, christianis sacris initiato, sepulturæ christianæ honorem pro suo arbitratu denegare. More recepto, qui baptismo non abluti mortem obierunt, separantur ab aliis. In rituali diœcesano

plures enumerantur casus, in quibus ad episcopi curiam adeundum (*recurrendum*) est.

*) Rit. Viennense: *Cæterum nemo christianus in communione fidelium defunctus extra ecclesiam aut cœmeterium rite benedictum sepeliri debet etc.* pag. 256.

181.

Habita ratione benedictionis, ac conductûs funebris, secundum augustissima edicta; parochis, et cooperatoribus a curia ecclesiastica *Viennensi* præscriptum est. *) ut *a*) solita, ac solemnis funerum benedictio, secundum libri ritualis præscriptum solummodo in ecclesiæ introitu peragatur; neque *b*) in cœmeterio repetatur; multo minus *c*) funera comitetur parochus ad cœmeterium usque; neque *d*) cadavera defunctorum, durante officio divino; deferantur in ecclesiam, aut in ea circumgestentur. Rursus ab eodem consistorio archiepiscopali, cum provinciæ præfecti indicassent, ritum sepeliendi, fundendique benedictiones super defunctos non eumdem ubivis servari; nonnullis parochis funera comitantibus usque ad tumulum, ibidemque benedicentibus (quod quidem repugnat augustissimis rescriptis, quibus solum, dum cadavera defunctorum inclusa saccis tumulo inferebantur; derogatum fuit) et quæ sunt id genus alia quibus accedit, quod parochis, qui legi augustissimæ morem gerunt, facessi molestia, atque invidia conflari a parochianis possit; præscribitur funera á parochis non esse comitanda usque ad locum sepulchri, neque ibi sacros ritus peragendos; sed deferenda in ecclesiam parochialem: ibidemque benedictionem fundendam; post seclusa omni solemnitate, quin sacerdos comitetur, a portitoribus deferenda ad sepulcrum.

*) *Ordinatio consistorii* 29. *Oct.* 1784.

182.

De iconibus, quæ sæpe funeribus impositæ, aut prælatæ fuerunt, consistorium *Viennense* hunc in modum statuit: Cum funeribus adhuc imponantur icones, partimque præferantur; qui quidem ausus præsidum confraternitatum adversantur litteris encyclicis vulgatis die 9. Aug. ann. proxime præteriti, quibus confraternitates omnes in unam transmutatæ sunt; parochis, et confraternitatum præsidibus quam severissime prohibetur, ne imponere istiusmodi icones funeribus imposterum ausint. *)

*) *Mense Febr.* 1784.

183.

Quantum ad sepulturas extra aggeres campestres, longissimæ lineæ instar, hostibus objectos, hæc sanxit Augustissimus: *) cum parochorum sit, curare evectionem funerum, ac reddere, quidquid illius rei gratia debetur, æquum est, ut modus quo evehenda sunt funera, universim eorum dispositioni relinquatur; ac uniuscujusque arbitrio permittatur, ut defuncti, quos quis habet cognatione sibi junctos, quin ad ecclesiam deportentur, mox pervehantur in cœmeteria. Cæterum fixum, ac firmum maneat, esse funus omne in parochia sua celebrandum; quod quidem recto ordini, constitutioni de ita dictis *juribus stolæ*, ac ipsis legibus de tuenda, servandaque sanitate conveniens est.

*) 9. *Febr.* 1784.

184.

Ex edicto augustissimo *) Parochus habeat catalogum mortuorum, in quo sex hæc capita (*rubricæ*) no-

tentur: annus, mensis, dies obitus, ædium numerus, nomen, religio, genus, ætas mortui indicata. Ubi vero, qui curam gerant mortuorum, constituti non sunt, at circuli tamen Medicus, vel examinatus chirurgus adest, prioribus capitibus additur septimum, morbi scilicet, et mortis genus. In hunc finem præcipitur circulorum medicis, et chirurgis, ut cujuslibet defuncti, ad quem vocati fuerint, morbum, quo decesserit, per litteras indicent.

*) 30. *Febr.* 1784

APPENDIX

De qualitatibus animarum pastori necessariis, prudentique vivendi ratione.

SECTIO I.

De qualitatibus ad pastorale munus necessariis.

1.

Ex omnibus, quæ de pastoralis officii functionibus pertractavimus, quam grave, quantique momenti munus sit, satis ut mihi videtur, perspectum fuit. Certissimum itaque est, non omnem huic muneri cum fructu sustinendum parem fore, illisque, huic negotio qui se addicunt, quasdam virtutes qualitatesque esse necessarias, quibus si carent, toga tantum ab hominibus aliis different.

2.

Dividi commode hæ qualitates posunt in internas, et externas. Singularum necessitas e pastoralis muneris functionibus derivatur. *) Internæ proprietates, queis populi doctorem præditum esse decet, partim ad

mentem, sive intellectum, partim ad animum sive voluntatem attinent.

*) *Hac de causa tractatum hunc, qui plerumque præmittitur, hoc loco posui. Id mihi rectus ordo videtur postulare. Nam prius oportet cognitum esse, quid munus aliquod sustinenti agendum sit, ut statuatur, quæ qualitates ad id requirantur.*

3.

Religionis doctori necessarium est, ut cum diversis hominibus diverso modo loqui noverit, ut, quoad fieri potest, perspectum ei sit, qua parte quisque maxime sit debilis, ut facillime flecti possit. Sæpe sine præmeditatione doctrina necessaria instruendi sunt homines etc. Ex quo, naturali quadam ingenii perspicacia, et acumine ad utilia excogitanda, et cogitata recte eloquenda opus esse facile intelligitur.

4.

Ut 1) sciat pastor, quid et quomodo pro rerum et temporis conditione et cum publice verba facit, et cum seorsum quosdam doctrina sacra instruit, dicendum sit; 2) ut rectum objurgandi, consolandi, monendi modum teneat, et 3) prudenti ratione abusus tollat, profecto recte judicandi vi eum præditum esse oportet.

5.

In sermonibus de religione pastori, ut id, quod intendit, efficiat, non languido, sed pleno vigoris dicendi genere utendum est. Ideo vivida imaginandi vis ei suo in munere utilis erit. Verum ne in dicendo nimium tumeat, nubesque et inania captet, ea sit ordinata, nec extra oleas feratur.

6.

Ut suos, occasio cum se offert, recte moneat, ac doceat, necesse etiam est, ut varias sententias, axiomata, principia, argumenta, historias in promptu semper habeat. Ad id fida opus est memoria; præcipue autem ob consuetudinem publicos sermones e memoria pronuntiandi.

7.

Ex jure, quod populo est, a pastore suo semper petendi, ut religionis dogmata explicet, dubitationes adimat, in conscientiæ angoribus consiliis salutaribus juvet, existit necessitas, amplam sibi scientiam comparandi. *) Qui nihil didicit, docere alios nequit. Admodum absona populi de religionis doctore vox est: Vir bonus quidem est; at indoctus, ignarus. *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* MATTH. *XV.* 14.

*) *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum est.* Malach. II. 7.

8.

Eruditionem, et virtutem in una sede morari non posse, nemo sibi persuadeat. Apostolus *) quidem dicit, scientiam a charitate sejunctam inflare; sed compertum etiam est, stupidos, et eruditionis expertes sæpe esse superbissimos, maxime pertinaces, et ad alios despiciendos plurimum propendere. Veræ eruditionis animi submissio (*humilitas*) socia est. **)

*) 1. *Cor. VIII.* 1.

**) Optime dicit S. *Aug.* Lib. V. contra Faustum:

Quid est: scientia inflat? Debemus odisse scientiam? Ut quid ergo habebat ipse quae inflaretur? Nam utique dixerat: Scimus, quia omnes scientiam habemus. Adde ergo scientiae charitatem, et utilis erit scientia. Cum pietatis simulatorem eruditionem contemnere audio, mihi semper venit in mentem id, quod *S. Hieronymus* dicit: *Rusticitatem pro sanctitate habent, quasi idcirco sancti sint, si nihil scierint. Nec rusticus tamen, et simplex frater ideo se sanctum putet; si nihil noverit.* Epist. ad Nep.

9.

Cum pastorali muneri hic præpositus sit finis, ut homines ad virtutis studium incitentur, et animo quieti sint, facillime statui potest, quod scientiæ genus pastori ad munus recte gerendum præcipue necessarium sit. Non enim ut mathematicos aut poetas, sed probos christianos ut formet, hoc munus sustinet. Quare ad religionis scientiam mentem, et omnia studia debet dirigere.

10.

Sacra scriptura præcipuus profecto fons est, e quo cognitio dogmatum religionis hauritur. Ea est, ut apostolus loquitur *) *utilis ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei et ad omne opus bonum instructus*, (ita ut illius magisterio religionem docens idoneus efficiatur, muneris sui partibus rite adimplendis). Quam ob rem pastori studium biblicum negligendum non est. Ipse suos doceat (Part. I. Sec. I.) quæ in sacris his libris præcipue contineantur, narret res gestas, exponat, quæ fuerit hominum, de quibus illic sermo est, indoles (character); inde semper argumenta petat, inde recte credendi, et vivendi regulas sumat; paucis ut dicam, eosdem manu quasi ducat ad sanctam scripturam recte intelligendam, et ad lecta, au-

ditave in usum suum convertenda. Ex his patet, quid sacras litteras legenti in primis spectandum sit; videl. non tam *minutiæ* grammaticorum, lectionum varietas etc. quam doctrinæ illis contentæ, rationes moventes ad integritatem morum, exempla probitatis etc.

*) 2. *Tim. III.* 16. 17.

11.

Ut suos ad sacras litteras intelligendas bene instruat, et expositiones suas, cum opus est, argumentis confirmet: necessarium est, ut ipse verum earum sensum cognoscere studeat, ad quod exegetica carere nequit. Hæc eum breviori, et tutiori ad propositam metam ducet via, quam grandia expositorum (interpretum) volumina.

12.

Ut pastor, quando populum docet, religionis dogmata recto ordine proponat (Part. I. Sect. I. §. 9. 39). eadem solide demonstret (41.) adversus errores tueatur, (§. 108.) et a singularibus doctorum opinionibus secernat; ei profecto 1) religionis systema oportet cognitum esse, atque perspectum; 2) fundamentum, cui innititur; 3) respondere præcipuis, vulgatisque objectionibus; 4) revera revelata dogmata a scholarum opinionibus sciat distinguere. Cum vero hæc in bene, et prudenter dispotita Theologia dogmatica discantur, hæc ad munus suum recte sustinendum omnino necessaria est.

13.

Nequaquam copiose hic demonstrandum est, principia doctrinæ moralis eidem nota esse oportere. Hæc enim in primis sunt, de quibus ei crebro verba facien-

da (Part. I. Sect. I.) Non supervacaneum vero hic erit, monere, disciplinæ moralis studium non situm esse in addiscendis definitionibus, et casuistarum minutiis, jejunave methodo mente comprehendenda; sed ad cognoscendos hominum animos, et causas, quæ ad actiones honestas movent, percipiendas magnopere esse incumbendum.

14.

Historia ecclesiastica ad hominum cognitionem plurimum valet; ostendit, qua ratione diversæ de rebus ad religionem attinentibus opiniones in actiones humanas influxerint; in ea conspicitur, quibus e fontibus errores aut abusus fuerint orti; et quæ ad eos tollendos remedia secundo, aut adverso eventu fuerint adhibita; docet, qui sacri ritus ubique usitati, qui a quibusdam tantum excogitati, qui antiqui, qui recentes sint. Constituit ob oculos varia virtutum, et scelerum exempla, quæ nos, aliosque monitis utilibus instruant. Exhibet tandem varia rerum spectacula, quæ multum luminis afferunt ad illa, quæ nunc fiunt, *) dijudicanda, et ponderanda. E quibus quidem is, qui illa diligenter perpenderit, ad munus suum prudenter administrandum, leges, regulasve sibi statuet.

*) *Quid est*, inquit Ecclesiastes I. 9. 10. 11., *quod fuit? Ipsum, quod futurum est. Quid est, quod factum est? Ipsum, quod faciendum est. Nihil sub sole novum; nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Non est priorum memoria.*

15.

De lectione Patrum ecclesiæ, quæ cum studio historiæ ecclesiasticæ arcte connexa est, monendum est, multiplici respectu pastori crebro esse utile, nosse, quæ fuerint sensa doctorum veterum de rebus religionis,

quibusve verbis sensa sua expresserint; magnique referre, ut probus eorum habeatur delectus, sanaque crisi dijudicentur. Manifestum est, ea patrum scripta, quæ faciunt ad emendationem animi, ac doctrinam pietatis, esse utiliora polemicis.

16.

Religionis ministrum leges ecclesiasticas, disciplinamque ecclesiasticam non posse ignorare, demonstratione haud eget. Clare etiam patet, non cognitis generalibus principiis de ratione religionis, et status politici, et differentia supremæ potestatis, et ejus, quæ ecclesiastica potestas appellatur, in casibus innumeris civis, et subditi officia, de quibus, ut dictum est Part. I. Sect. I. §. 67., sæpe loquendum est, primum cum esse violaturum. *) Falsis opinionibus, et præjudiciis hac in re factum est, ut multa et religioni et reipublicæ (*imperio*) luctuosa, et acerba evenerint. Multi quoque in opinionem religioni, quæ quoad *essentialia* status politici dispositionibus nunquam adversatur, admodum perniciosam fuerunt adducti, ecclesiæ scilicet perpetuum adversus rempublicam necessario pæne gerendum esse bellum, et verba hæc: Ecclesiæ minister, et imperii hostis, eadem prope significare. **)

*) *His innititur edictum cæsareo-regium, non licere episcopis ullum theologorum e regulari, aut seculari clero sacris ordinibus initiare, nisi ille antea jus ecclesiasticum universale et particulare secundum docendi regulas academiis Austriacæ hæreditariæ ditionis præscriptas absolverit; et de habito a constitutis examinatoribus tentamine* (examine) *primæ classis testimonium attulerit.* Edictum 15. Jul. 1776.

**) *Ex his, quæ de disciplinis theologicis diximus, cognoscitur æquitas, et necessitas edicti cæs. reg. epis-*

copis prohibentis, ne sacerdotes seculares litterarum studiis operam dantes ante integre absolutum theologiæ cursum ad animarum curam advocent. Vetat insuper, sacerdotio initiari eos clericos, qui non antea in omnibus theologicis disciplinis eam operam, ac studium collocaverint, ut primæ aut saltem secundæ classis testimonium exhibere valeant. Edictum 9. Oct. 1779.

17.

Hæ sunt igitur scientiæ animarum curam gerenti maxime utiles, aut necessariæ. Sunt vero aliæ, quæ non proxime ad religionis exercitium referuntur, et *profanæ*, sive seculares appellantur. Cum vero qualibet cognitione homo magis perfectus efficiatur: ullam ex iis religionis doctori perniciosam, aut prorsus inutilem esse, affirmari nequit. Sola male agendi ars proprie *profana* scientia est appellanda, e. gr. ars decipiendi homines, sub religionis obtentu improbo consilio destinata exsequendi, e religione quæstum faciendi etc. Præter hanc nulla mihi nota est scientia, qua 1) sacrum pastorem jam instructum esse, non pro certo haberetur, aut quæ 2) saltem ei non esset ornamento, benevolentiamque, aut auctoritatem non posset comparare. Satis constat, theologum, qui nullos præter scholasticos de theologicis disciplinis libros evolvit, ubique offendere, nusquam libenter audiri, et ideo fructum nusquam metere.

18.

De disciplinis philosophicis *) universim affirmandum est, hinc fieri, ut de rebus religionem attinentibus fundamentum jaciatur. Is enim vero, qui mutuam religionis ac philosophiæ consensionem non agnoscit, aut alteram ab altera separat, aut unam alteri opponit, vel non intelligit, quid sit vera religio, proprio accepta sen-

su, vel non percipit, quid sit genuina philosophia, vel utramque ignorat. Nemo prudens est, qui in JESU non suspiciat æque insignem mundi philosophum, ac magnum et ilustrem religionis restauratorem.

*) *De philosophia generatim, ejusdemque historia præ aliis legi merentur*: J. A. Eberhard *de notione Philosophiæ ejusque partium*, Berlin 1778. 8. J. G. H. Feder, *primæ lineæ scientiarum philosophicarum, addita historia*, Coburg 1769. Jac. Bruckeri *institutiones historiæ philosophicæ, edit. auct. et emendat.* Leips 1756 F. A. Büscking. *primæ lineæ historiæ philosophiæ.* Berlin 1771.-74. 2. T.

19.

Dum de religione sermones habentur, necesse est, ut cuncta recto ordine cogitentur, et ideæ sint determinatæ, et argumenta certa. Itaque, qui ad populum verba facit, eum recte, atque ordine cogitare, et argumenta oportet afferre. Ex quo intelligitur, logicam eidem esse necessariam quam maxime. *)

*) *Confer. inter alios*: Lock *de intellectu humano, secundæ edit. Angl.* 1690. noviss. Lat. Lipsiæ 1741. German. 1757. J. G. H. Feders. *Logica et Metaphysica*, Vien. 1783. G. F. Meiers, *Logica*, Halle 1764. J. Watts *Logica conversa ex lingua Angl.* Cleve 1766. 8. *cujus altera quasi pars habetur, de modo patriæ perficiendæ, aut de acquirenda utili scientia*, Danzik 1764. 8. G. S. Steinbart, *manuductio intellectus humani ad acquirendam rectam perfectamque rerum cognitionem.*

20.

Si certum est (Part. I. Sect. I. §. 42.) res naturales proponendo pastorem efficere posse, ac debere, ut

sui Deum omnipotentem magis agnoscant, ac venerentur; physicæ *) et historiæ naturali **) cum religionis scientia nexum esse, affirmare licet. Huc maxime spectat cognitio hominis, præstantissimi creationis arte conditi. ***) Præterea rerum naturalium non imperito naturæ effecta nota sunt, atque ideo multa, quæ præter communem ordinem fiunt, explicare, plebemque, cui illa prodigia semper esse videntur, a multis superstitiosis opinionibus potest abducere.

*) *Consult. inter alios*: J. C. P. Erxlebens *principia physicæ, nova editio.* Gottingen 1786. J. J. Eberts *physica juventuti accommodata.* Leips. 1775-78. 8. Joh. Gottl. Krügers, *primæ lineæ Physicæ ad usum juvenum.* Halle 1768.

**) N. G. Leske *principia Hist. nat.* Leips. H. Sanders *hist. nat. œconom. ad usum rusticorum german.* Leips. 1782. 3. T. *Hist. ad usum puerorum. Opera majora, communi excepta plausu, sunt*: C. Linnæi *systema naturæ edit.* 12. 1766.-68. *et editio repetita* Viennæ 1867.-70. *Buffon Hist. nat.*

***) *Adisis ex aliis*: Isaak Iselin *Comm. in historiam. humani generis.* Zürich 1779. 8. *Hist. hominis.* Dessau 1783. *Disquisitiones de hominis facultatibus.* Leips. 1777.-78. J. G. Krugers. *Specimen Psychologiæ experimentalis.* Halle 1756. Feder, *Disquisitiones de humana voluntate, ejus stimulis, mutabilitate, relatione ad virtutem et felicitatem, regulisque fundamentalibus cognoscendi animum humanum.* Gottingen.

21.

Quoniam, ut solide homines doceantur, hominum officia, quandocumque fieri potest, e natura et fine hominis deducenda sunt: superfluum est, prolixius de-

monstrare, *jus naturale* *) et *philosophiam moralem* animarum curam habenti omnino necessaria esse. Christianorum officia naturalibus præceptis maxime innituntur. **)

*) *Nemo apud nos est, quem lateant*: Martini *positiones ex jure Naturali*. Vien. 1786. *Ad hæc*: H. Grotii *de jure belli et pacis libri* 3., *in quibus jus naturæ et gentium, item juris publici præcipua explicantur*. Leips. 1758. J. G. H. Feder *Doctrina fundamentalis de cognoscenda humana voluntate legum honestatis naturalium*. Gottingen. 1783.

**) J. G. H. Feder *Philosophia practica ad usum scholarum*. Leips. 1775.

22.

Historia politica ab ecclesiastica disjungi nequit. Religionis doctori hanc si cognitam et perspectam esse oportet: in illa peregrinus et hospes esse non debet.*)

*) *Inter libros alios huc pertinent*: J. B. Bossuet *introd. in Hist. mundi et Relig. continuata*. Leips. 1757.-86. gr. 8. *Tironibus destinantur*: *Compendium Hist. Univers. ad usum juventutis et tironum*. Berlin 1777. *Ejusdem Histor. univers. ad usum puerorum*. Leips *Amplum, et magni æstimatum opus est*: *Historia universalis mundi Anglice edita a* Guill. Guthrie *et* Jo. Gray, *germanicæ reddita, et emendata a variis viris doctis in Germania*.

23.

Animarum pastoris officium quidem non est, suorum disceptationibus sese ingerere, et lites dijudicare. Caveat potius, ne lites et contentiones excitentur. (Part. I. Sect. III. §. 163.) At inde sequitur, haud inutile

ei esse, nosse quædam jurisprudentiæ principia, et præsertim patria jura, quæ ei in multis casibus usui esse poterunt. Optime eum, qui litem injuste movere cogitat, permovebit, ut amice rem cum adversario transigat: si negotii injustitiam ob oculos ponere, et judicis sententiam favorabilem non fore, potest prædicere.

24.

Animarum pastor ad id quidem destinatus non est, ut corporis morbis medeatur: tamen hominibus se vere amicum exhibebit, suorumque benevolentiam sibi comparabit, si iisdem ad valetudinem omnibus charam vel tuendam vel recuperandam utilia consilia dare, certam vivendi rationem præscribere, et a multis valetudini perniciosis sibi ut caveant, monere potest etc. Sæpe etiam animadvertens, ab imperito medico male consuli ægroto et curationem manifeste noxiam adhiberi, varias morbo medendi vias tentare potest. Itaque dicendum non est.*) artis medicæ cognitionem animarum pastori prorsus inutilem esse, et eum dedecere. (Part. I. Sect. III. §. 89.)

*) S. A. Tissot, *monita ad populum pro conservanda sanitate.* Zurich. 1767. J. G. Krugers, *diœta, sive regula ordinate vivendi.* Halle 1763. J. A. Hunzer, *medicus sive diarium medicum* 12. T. Hamburg. 1769. *Præcepta ad chirurgos campestres* nov. edit. Viennæ 1786.

25.

Ut et ipse pastor satis intelligat, et cum fieri potest, aliis etiam ostendat, varia publica instituta (dispositiones) utilia esse, valde expedit, politicarum scientiarum non penitus esse ignarum. Ideo in cæs.-regio edicto 19. Aug. 1769. dicitur Cæsareæ Regiæ Apostolicæ Majestati acceptum fore, si ecclesiastico statui se

consecrantes subditi, præter vocationi eorum proprie necessaria studia, publicas *camerales* et *politicas* prælectiones *) audiendo, aut privatim discendo, harum scientiarum ipsis et reipublicæ variis de causis utilium cognitionem aliquam sibi comparare studerent.

*) *Quæ de his scientis consiliarius aulicus* Sonnefels *scripsit, notissima sunt; nec mea indigent commendatione.*

26.

Licet animarum pastorem haud deceat, rurali œconomiæ, ceu præcipuo suo negotio totum sese immergere: *) quædam tamen illius cognitio variis de causis erit utilis. Nam *a*) animum utiliter habebit occupatum, et subsecivas horas bene impendet; *b*) sæpe rei domesticæ multum consulet, melioremque reddet; *c*) utilia cum rusticis conferet colloquia etc.

*) *In hanc rem utile erit legere: Principia œconomiæ ruralis pro Germania.* Gottingen 1783. Ejusdem *Bibliotheca phisico-œconomica ubi de novissimis libris, qui historiam naturalem, physicam, et ruralem ac oppidanam œconomiam attinent, certæ plenæque notitiæ exhibentur. Complexio scientiarum œconomicarum, et cameralium.* Mannheim 1773. *Paterfamilias*, Hannover 1771. *Epistolæ de bene ordinandis hortis olitoriis. Catechismus de re rustica, auctore eodem, a quo sunt additamenta Berolinensia.* Bresla 1776. *Institutio pro œconomis ad promovendam pecuariam.* Berlin 1781. *Catechismus in oviariam auctore Wichmanno.* Leips. 1784

27.

Scientias elegantiores *) ad mentem, animumque excolendum plurimum conferre, certum et exploratum

est. Ea tantum perpendantur, quæ necessitate in religiosis sermonibus placendi (Part. I. Sect. I. §. 33.) et de recto dicendi genere (Part. I. Sect. II. §. 138.) diximus, ut creeatur, utile et decorum esse pastori, harum cognitionem sibi comparavisse. Manifestum est, etiam hic, ut in omnibus rebus nimia in his collocata opera (evagando) peccari; neque jure affirmabit quispiam, in artem poeticam, æstheticam, ceu primarium negotium, neglecta religionis scientia, immoderate esse incumbendum.

*) *Libri præ aliis commendari merentur isti*: A. F. Busching, *Delineatio historiæ bonarum artium, et scientiarum.* Berlin 1772.-74. *Theoria universalis artium humanarum in singularibus articulis ex ordine vocum technicarum alphabetico digestis exhibita a Joan. Georg. Sulzer.* Leips. 1778. *Introductio ad artes humaniores, opus ex gallico translatum, et adauctum a Carolo* Gill. *Ramler. Theoria artium humanarum auctore Eberhard.* Halle 1783.

28.

Ad recte, et perspicue dicendum necessaria est, pastori grammaticæ notitia, *) præcipue illius linguæ, qua cœtus sui homines utuntur. Sed non existimet, ut ab omnibus intelligatur, vitiose esse loquendum, utendumque verbis phrasibusque plebejis.

*) *Huc spectant: Grammatica linguæ germanicæ, et ejusdem compendium in usum scholarum. Lineamenta* ortographiæ *germanicæ* Leips. 1782. *Specimen dictionarii grammatico-critici in dialectum cultiorem linguæ germanicæ. Specimen de recte determinandis quibusdam vocibus synonimis ling. german.* 3. T. 8. mai. Franckf. an der Oder 1777. *Adumenta ad peritiorem linguæ germ. cognitionem.* Berlin 1778.-82. *Observationes criticæ in voces synonimæ ling. germ.* Franckf. 1775.

29.

Non satis est, ad munus suum recte administrandum, pastorem e libris hausisse scientiam. Si in suis functionibus prodesse cupit, debet nosse diversum hominum pro diversitate status, ætatis, indolis (*temperamenti*) cogitandi modum, causas ad agendum impellentes vel ab agendo abducentes, efugia, obtentus, excusationes, quæ universim e medio tollenda sunt. Debet explorare, unde oriantur, quomodo progrediantur bonæ vel malæ propensiones, habere præterea cognitum, queis modis occultæ cupiditates se prodant. Hæc scientia hominum, rerumque, quæ in mundo fiunt, cognitio appellatur; estque pastori prorsus necessaria scientia. Absurdum enim cum sit, homines, et ea, quæ in terra fiunt, velle corrigere, et ea non nosse; manifestum est, quam sit hoc scientiæ genus necessarium.

30.

Quæri potest, quæ sint ad hanc cognitionem comparandam subsidia, et respondetur, 1) cognitionem sui esse fundamentum, et ab ea ducendum initium. Quisque in se quasdam bonas, quasdam malas propensiones deprehendit. Quod si accurate observat, quem in modum has corrigere, illas constabilire debeat, etiam, quæ in se observat, ad alios poterit accommodare. *)

*) *Videatur Cognitio sui ipsius a J. Mason, opus translatum ex anglico.* Leips. 1775.

31.

Verum, quia magna est hominum diversitas, etiam apud diversa hominum genera sæpe versandum est. Is

tantum, quales homines revera sint, cognoscet, qui eos sæpe diligenter observavit. Neque quis dicat, juxta nostam illius Ascetæ sententiam: *Quoties inter homines fui, minor homo redii*, rem hanc esse periculosam. Non hic affirmamus, utendum esse familiaritate scelestorum, qui illi sunt, quos evangelium *mundum* appellat. E consuetudine hominum bene moratorum, qui etiam titubant, et labuntur (erroribus obnoxii sunt) multa licet discere. Etsi non semper adest occasio, hominum illustrium mores, et facta ipso usu cognoscendi; tamen ex illa conjunctione, quæ nobis cum aliis est, multa in rem nostram discendi occasio negligenda non est. *a*) Cui religionis christianæ præcepta animo alte infixa hærent, quod in religionis doctore pro certo habere licet, et *b*) qui mente non improba, et sincero consilio, utilia ad munus suum bene gerendum ipso usu discendi, ad hominum societatem accedit: is profecto, contradicant licet Ascetarum sententiæ, affirmare poterit: *Quoties hoc consilio inter homines fui, nova, queis docebar, vidi, et expertus sum, atque ita sapientior redii, ac prudentior.*

32.

Magnum quoque emolumentum affert lectio librorum, qui morum descriptiones, ethopœjas, historias de hominum actionibus etc., narrationes, descriptiones itinerum, scripta satyrica, immo etiam fabulas *Romanenses* salutarem doctrinam complectentes continent. *)

*) *Admodum multa utilia de cognitionibus ad pastorale munus necesariis inveniuntur in tractatu, de progressu pastorum in cognitionibus, et experientia pro nostrorum temporum indigentia.* David Gottlieb Niemeyer, Leips. 1778.

33.

Nemo ex his, quæ de necessitate, aut utilitate

enumeratarum disciplinarum diximus, inferat, nos nimium, et plus æquo desiderare. Nos hic non de ampla, et professori necessaria rerum cognitione loquimur; sed de primis cujusque disciplinæ elementis, et certo cognitionis gradu, quam quisque pro sui ingenii dotibus, conjunctionibus (obligationibus) opibus etc. sibi comparare potest.

34.

Eadem de causa, qua generatim hominum cognitionem necessariam esse statuimus, etiam consequitur, pastori sacro bene cognitum esse oportere illum hominum cœtum, qui ejus curæ commendatus est. Licet homines ubique terrarum quibusdam rebus omnino similes sint: tamen ratione pastoralis muneris communitas a communitate differt; atque ideo cum diversis communitatibus diverso etiam modo agendum est. Nam *a*) pro majori, aut minori numero membrorum ejus etiam labores sunt distribuendi, ne quidam ex iisdem omnino negligantur. *b*) Negotiorum, negotiationum, opificiorum partis majoris genera, *c*) acquisita minor aut amplior religionis cognitio, *d*) dominantia speciatim in eodem genere scelera, scelerumque scaturigines ostendunt ei rationem, ac viam, quam, ut munere suo bene fungatur, eum ingredi necesse est.

35.

Cum non tantum universi gregis generatim et speciatim etiam singulorum membrorum cura suscipienda sit, non satis est, universim eumdem nosse; noverit etiam, si prudenti modo fieri potest, indolem (animi affectionem) habilitatem (captum) scientiam, exteriorem, ac interiorem statum, indigentiasque singularum familiarum, singulorumque hominum. Quæ de privata instructione diximus, *) perspicue hæc demonstrant.

*) *Part. I. Sect. III. §. 8.*

36.

Hanc notitiam tantum comitate erga suos consequetur, hac eos sibi conciliabit, ut plurimum ei confidant, et animos sincere patefaciant. Multum præterea ad hoc conferunt colloquia familiaria. Nam non semper iis fides habenda est, quæ familiarum patres, aut matres de domesticis narrant; a vicinis vero expiscari, inconcinnum, incertum, et periculosum est.

37.

Nisi cum prudentia conjuncta est ad munus gerendum necessaria scientia, nihil eam prodesse sciunt, fatenturque omnes. Sed cum diversa huic verbo subjiciatur notio, non superfluum erit, hic definire, quid proprie sit *prudentia pastoralis*, et quibus adjumentis comparetur. Affirmare licet, prudentiam generatim sitam esse in promptitudine (*habitu*), subsidia ad propositum finem maxime idonea seligendi. Quodsi utrumque, finis et media, aut alterutrum duntaxat, malum et illicitum est; non est prudentia Christiana; sed illa, quæ in sacris litteris appellatur *prudentia carnis*, *) *sapientia hujus seculi.* **) Sin vero utrumque cum religionis christianæ præceptis congruit; est prudentia christiana, vel prudentia spiritus. Quare cum pastorale munus hunc finem propositum habeat, ut christiani emendentur, et tranquilli sint; prudentia pastoralis sita est in promptitudine (habitu), aptissima ad emendandos et tranquillandos parochianos subsidia eligendi. Prudentia itaque adhibet applicat sive generalia principia et regulas, scientia vero præcedit. Prudens medicus sane is non est, cui artis medicæ principia cognita non sunt; nec prudens bellator, qui artis militaris est ignarus.

*) *Rom. VIII. 6.*

**) 1. *Cor. II. 6.*

38.

Qui prudens esse cupit, 1) ei propositus sibi finis semper ante oculos obversetur. Præcipuum igitur in hoc munere est, ut bonus sit finis, et bona voluntas (*intentio.*) Experientia docet, illos prudentissime in delectu adjumentorum agere, qui avidissime bonum aliquod expetunt. 2) Experientia etiam hic in partem vocanda est. Non omnia, quæ in munere pastorali occurrunt, libris comprehendi, aut sola meditatione dijudicari possunt. Novi pastores, nullo usu edocti, ab aliis multa jam expertis discant, et virorum proborum, prudentumque in hoc munere jam exercitatorum consiliis prompte, et libenter obtemperent. 3) In primis autem justis rationum momentis omnia, et singula attente expendantur, et adjumenta accurate conferantur cum succeso postremo.

39.

Animi (voluntatis) qualitates cum dotibus intellectus conjunctas esse oportet. Apostolus vult, ut ecclesiarum antistes eorumque adjutores irreprehensibiles sint.*) Necessaria est interior vitæ ingritas (probitas). **) Nam fieri nequit, ut is ad virtutem ex animo hortetur, qui virtutem magni non facit; aliorum quoque animos hic non movebit. Præterea pastor in eo gradu est collocatus, quo simulatio (hypocrisis) et ficta pietas diu nequeant occultari. Quodsi improbæ ejus cupiditates foras prorumpunt, et in scelera præcipitem agunt: jure a suis histrioni censetur similis; quippe qui, dum docet, serio non agit, et aperte pravo exemplo id destruit, quod fortasse docendo exstruere moliebatur.

*) *Siquis episcopatum desiderat, bonum* (grave magnique momenti) *opus desiderat. Oportet ergo episcopum*

irreprehensibilem esse ... Et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli. 1. Tim. III. 1. 2. 7. *Diaconos similiter* oportet esse *pudicos. ... Et hi probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.* Ibid. vers. 8. 10. *Oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.* Tit. I. 7. 8.

**) *De vera evangelica virtute multa præclare dicuntur delineatione pro erigendis Seminariis generalibus in ditionibus austriacis, et præcipue etiam in præstanti dissertatione: de cultura morali tironum in Sem. generali.*

40.

Nimis longum foret, de quaque virtute pastori ad munus suum necessaria nominatim loqui. Paucis omnia complectimur, dicentes. *Omnibus virtutibus christianis effulgeat.* De præcipuis breviter dicemus.

41.

Ut animarum curam habens religionis dogmata solide suos doceat, confirmet, et adversus mentis (intellectus) et animi (voluntatis) dubia corroboret, necesse est, ut fides, qua religionis dogmata credit, non obscura, sed illuminata, cognitio de rebus religionem attinentibus ampla, persuasio (convictio de præscriptionibus a JESU datis, firma ac vivida sit, et ea, quæ revelatio nos docet, non tantum ejus mentem, sed animum (voluntatem, pectus) penitus occupent. *)

*) *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doc-*

trina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores. Tit. I. 9. 10.

42.

Exigua, aut nulla pastori speranda est merces ab iis, quos meliores debet reddere; ideo mercedem in se ipso quærere assuescat, et spem suam, ut PAULUS, *) ad eam vitam dirigat, in qua omnia, quæ hic fecimus, præmiis amplissimis remunerabuntur.

*) *Hæc patior*; (dicit apostolus de semetipso) *sed non confundor.* Scio *enim, cui credidi. et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem,* 2. Tim. I. 12.

43.

Qui singulari erga Deum, et quæ ejus sunt, amore non incensus est, is etiam alios, ut magno huic præcepto obtemperent, non impellet. Cui religio, et Dei amor cordi non est, sane horum causa graves labores animo minime fracto non suscipiet: non pastoralis muneris difficultates, interdum odia, vexationes, querelas etc. libenter non feret. Ideo JESUS PETRUM, cum ei gregem suum pascendum committeret, an eum amaret, ter interrogabat. *)

*) IO. *XXI.* 15.

44.

Omne fere pastoris negotium situm est in amore aliorum hominum. Ergo hic amor eum excitet, ut in gravibus suis negotiis gnavus, et impiger sit, ac nunquam defatigetur. Hic adjumento sit, ut difficultates, in quas sæpe incurrit, vincat. Hic ejus animum erigat, ac serenet, ut aspera et dura non injucunde sufferat.

Utinam omnes, quibus animarum cura demandata est, IESU *) et apostolorum **) erga homines amorem, ceu præclarissimum, quod imitentur exemplum, semper sibi ante oculos constituerent!

*) *Animam meam pono pro ovibus meis.* Io. X. 15. *Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ephes. V. 2.

**) *Quis infirmatur, et ego non uror?* 2. Cor. XI. 29. *Facti sumus parvuli* (vobiscum egimus leniter, ac mansuete) *in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei; sed etiam animas nostras.* 1. Thess. II. 7. 8. *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris; licet plus vos diligens, minus diligar.* 2. Cor. XII. 15.

45.

Etsi hic amor, nempe ut prompta voluntate omnibus prodesse studeat, homines ad unum omnes complectitur: tamen singulari modo erga singulos *) se prodit. Animarum pastoris amor speciatim in patriam et præcipue in commendatum sibi gregem propendeat.

*) *Græcis ac barbaris* (generatim hominibus universis) *sapientibus, et insipientibus debitor sum.* Rom. I. 14. *Non est Iudæus, neque Græcus:* (Discrimen inter Iudæum, et a Iudaicis sacris alienum, inter servum et liberum, inter sexum et sexum hic non attenditur) *non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* Gal. III. 28.

46.

Amor Dei, et proximi id progenerat, quod fervo-

rem (*zelum*) pro honore Dei, et felicitate hominum appellant. Utinam verus a falso semper discerneretur! Verus *a*) est *illuminatus*; unde a stupido, aut cæco fanaticorum zelo discernitur, *b*) *purus*, dum quidquam faciendum sibi proponit (*in intentione*); *c*) *prudens* et *providus*, dum quidquam aggreditur; *d*) *constans*, et ad finem perseverans; et paucis ut complectar, habet omnes dotes, quas apostolus charitati christianæ tribuit.*) *Charitas*, inquit, *patiens est*, *benigna est*: *charitas non æmulatur*, *non agit perperam*, *non inflatur*, *non est ambitiosa*, *non quærit*, *quæ sua sunt*; *non irritatur*, *non cogitat malum*, *non gaudet super iniquitate*, *congaudet autem veritati*, *omnia credit*, *omnia sperat*, *omnia sustinet.*

*) 1. *Cor. XIII.* 4. *seq.*

47.

Nihil est, quod pastori suorum amorem magis conciliet, nihil quod eum magis corroboret, dum ad officia sua negligentia stimulatur; nihil, quod eum ceu Christi discipulum magis deceat, quam sui commodi neglectus. Quis ab eo viro alienus sit, qui vere cum apostolo possit dicere: *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos?* *) Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse; *scio et humiliari*, *scio et abundare*. *Argentum*, *et aurum*, *aut vestem nullius concupivi.* Neque gratis panem manducavimus ab aliquo; sed in labore, et in fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Avaros scilicet, et turpis lucri cupides ad sacrum hoc munus idoneos non esse apostolus declarat. **)

*) 2. *Cor. XII.* 14. *Philipp. IV.* 12. *Act. XX.* 33. 1. *Thessal. II.* 9. 2. *Thess. III.* 8.

**) 1. *Tim. III.* 3. *Tit. I.* 7.

48.

Continentiam, ejusque comitem temperantiam apostolus inter dotes ecclesiæ antistiti necessarias recenset. *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem; sed modestum ... suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* *) Incontinentia in ecclesia Dei multa non satis deploranda mala, et offendicula peperit. Pastor, qui in hac re deliquit, vel tantum suspicioni materiam tribuit, frustra sperat, suam doctrinam momenti aliquid habituram, aut monita in suorum animos alte descensura.

*) 1. *Tim. III.* 2. 3. 4. 1. *Tim. V.* 22.

49.

Pastorale munus tot secum fert difficultates, tot functiones injucundas, tot tamque varias curas, ut firmissimam illius patientiam esse oporteat; si ad finem usque, quin animum despondeat, velit perdurare. *)

*) *Servum autem Domini ... oportet ... mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem* (in perferendis injuriis, ac contradictionibus) 2. *Tim. II.* 24.

50.

Si Christianis omnibus a Christo est discenda *humilitas*; *) sane eum id maxime decet, qui se profitetur discipulum Salvatoris, ad mortem usque se humiliantis. Superbia fit, ut religionis minister in hominum societate intolerabilis, et suis invisus sit. Ex ea nasci-

tur dominandi cupido, de loco priore seu de loci prærogativa contentiones, sæpe simulatio, neglectus functionum, quæ vitiosæ huic propensioni haud placent. At vera humilitas, quæ cum auctoritatis defensione stare potest, **) cum falsa animi demissione non confundatur, quæ simulatoribus, et adulatoribus propria est, et quam viri prudentes detestantur.

*) *Matth. XI. 29.*

**) *Quoniam multi* (scribebat *Paulus ad Corinthios*, vitandum esse certum hominum genus, qui prærogativis quibusdam externis noverant auctoritatem sibi conciliare) *gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor..... In quo quis audet* gloriari, *audeo et ego. Hebræi sunt; et ego. Israelitæ sunt; et ego. Semen Abrahæ sunt; et ego. Ministri Christi sunt..... plus ego* (sensu excellentiore sum) *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius.... in mortibus frequenter* etc. 2. Cor. XI. 18. 21. 22. 23. Provocabat præterea apostolus ad jus civitatis Romanæ, quo gaudebat; dum erat flagris cædendus Jerosolymis, eoque pacto se ab illo cruciatu eximebat. Adstrictus loris dixit adstanti sibi centurioni: *Si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare?* Act. XXII. 25.

51.

Etsi collata in egenos stipe eorum animi proprie non emendantur: tamen liberalitas viam ad id munit. *) Recte autem hac virtute utendum est, et providendum, ne, dum liberales esse cupimus, simus prodigi.

*) 1. *Tim. III.* 2. *Tit.* 1. 8.

52.

Mansuetudo, et comitas pastori admodum necessariæ sunt. *) Vultus serenitas, erga omnes suavitas, hu-

manitas in congressu, affabilitas, et morum elegantia omnium conciliant benevolentiam. Morositas vero, asperitas, trux vultus, mores inculti animos abalienant. IESUS suavissimus, mitissimusque hominum amicus non adversus homines odium, non tetricam virtutem docebat.

*) 2. *Tim. III.* 24.

53.

Qui homines, quales nunc sunt, considerans novit, quantum illa, quæ sub sensus cadunt, sive exteriora ad animos movendos valeant; is etiam intelliget, exteriora, sive quæ externum corporis habitum attinent, multum ad propositum ei finem conducere, multum etiam obstare. Ex quo conficitur, ad pastorale munus bene obeundum præter animi bona, exteriora etiam, sive corporis bona, esse necessaria.

54.

E contemptu hominis facile etiam contemptus dogmatum religionis præsertim in rudibus nasci cùm possit, generatim loquendo non facile ad munus pastorale essent vocandi, quibus deforme corpus est. Jam in veteri testamento notabilia corporis vitia obstabant, quo minus iis laborantes sacerdotum munia possent obire, et inter ita appellata impedimenta canonica, de quibus in jure canonico agitur, plura sunt, quæ ad exteriora, sive corpus attinent. Certum tamen est corporis vitia præstantis mentis, animique dotibus posse compensari.

55.

Quod sæpe in loco amplo concionandum, quod invisendi ægroti, quod præterea multa alia difficilia fa-

cienda; profecto pastori corporis robur, et firma valetudo necessaria sunt. Quare mirandum est, si homines aut magno jam natu, et viribus exhausti, aut juniores etiam, sed corpore infirmo, et morbis obnoxii, docendi muneri cupiunt admoveri.

56.

Necessaria ad pastorale munus scientia, prudentia, et hominum cognitio adolescentibus non insunt: jure ac merito igitur ætas matura requiritur. Portento simile est, si adolescenti, qui fortasse nihil præter ædes paternas, et seminarium vidit, loquendum est de rebus, quas usu, et tractatione nunquam cognovit; et si illos docere vult, qui prudentia, scientia, intelligentiaque longe antecellunt. Verum quæ ætas huic muneri maxime idonea sit, non facile definiri potest. Interdum triginta annorum vir, cui negotium suum curæ est, plus sapit, plura perspicit, quam ætate provectus, cui sine cura, et in jucunda socordia vitæ spatium prope decursum est. *)

*) *Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis; et ætas senectutis vita immaculata.* Sap. IV. 8. 9.

57.

In qualitatibus, de quibus jam diximus, *) una collectis id situm est, quod *vocatio interior* appellatur. Generatim vocatio dicitur esse divinæ voluntatis patefactio ratione alicujus hominis, quem præ aliis ad munus aliquod destinat. Cum vero Deus omnis ordinis auctor certissime cupiat, ut quisque eo fungatur munere, ad quod necessarias dotes ac vires ab eo accepit: dotes, et facultates, de quibus locuti fuimus, tutissima signa sunt, illum ad pastorale munus vocatum esse.

*) *Qui necessitatem singularum proprietatum multis sacræ scripturæ, et patrum testimoniis confirmatam videre cupit, legat opus inscriptum: Forma Cleri secundum exemplar, quod ecclesiæ, sanctisque patribus a Christo Domino, summo sacerdote monstratum est, opera, et studio* Ludovici Tronson. Edit. *nov. Avenione* 1774. *Tom.* 3.

58.

Superiorum judicium, utrum quis necessariis ad pastorale officium qualitatibus sit instructus, et delectus, quem inter singulos institutum, plerumque *vocatio externa* nominatur. Quod muneris pastoralis functiones, permagnis difficultatibus conjunctæ sunt, ad quas singulares vires requiruntur. Importune sese in animarum curam ingerere, nequaquam licitum semper fuit existimatum. *) Verum cum, ut nunc rerum status est, superiores universim idoneos non norint, nisi quando se illius muneris candidatos profitentur, nequaquam illicitum existimandum est ultro, sese ad id offerre, et an dignus eo sit, illorum, a quibus publicæ populi saluti prospiciendum est, expectare judicium.

*) *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam majus judicium sumitis.* Iac. III. 1.

59.

Universim adversus rempublicam, et speciatim adversus quosdam homines peccat, qui obliqua et vetita via (per fraudes) in munus aliquod irrepens digniorem ab eodem arcet. Eo magis peccatur, hoc modo si ad pastorale munus pervenitur, e quo populi salus magna ex parte pendet. De illicitis his rationibus, ac viis copiosius agit jus canonicum.

60.

Certo quisque, qui pastorale munus capessit, ad eum finem aget, quem sibi ab initio proposuit. Quisquis non recta voluntate, et fine, qui ad Dei gloriam propagandam, et hominum salutem referendus est, sibi non proposito, munus hoc init, invertet rectum ordinem, et in iis, quæ adjumento tantum esse oportebat, finem constituet; et eatenus munere suo fideliter; et diligenter perfungetur, quatenus muneris functiones proderunt, ut obtineat illa, ad quæ singulariter fertur, ut commoditati suæ indulgere, ut vanam gloriam aucupari, ut reditus suos augere valeat etc.

61.

Cum munus pastorale initur, ea esse observanda, quæ universali, vel peculiari loci consuetudine fieri solent, demonstrandum non est. Huc spectat solemnis *introductio*, sive *installatio*; de qua in jure canonico iterum loquendum est.

62.

Cum multum intersit, statim ab initio homines sibi conciliare, atque operam dare, ut animis eum in modum comparati sint, quo novum suum pastorem excipere eos decet: non inconcinnum est, in primo ad parochianos sermone 1) eisdem fidelitatem in munere suo fungendo promittere, 2) eos monere, ut monitis obtemperent, 3) piis commissi sibi cœtus precationibus sese commendare. Caveat vero, ne nimis multa polliceatur, aut de negligentia eorum, qui antea hoc munere functi sunt, conqueratur; etc.

SECTIO II.

De prudenti pastoris vivendi, agendique ratione.

1.

Ut magnus, qui pastorali muneri propositus est finis, nempe hominum emendatio, obtineatur, pastoris sacri dicta, et facta doctrinæ ejus respondeant. Imprudenter se gerendo sæpe evertit illud, quod docendo exstruere in animo erat, et ideo, quo minus e doctrina percipiantur fructus, impedit. *Qui fecerit, et docuerit*, inquit IESUS, *) *hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Itaque magni refert, 1) ut scopo suo convenienter vitam instituat; 2) ut in peculiaribus casibus, atque erga diversos homines prudenter se gerat.

*) *Matth. V.* 19.

2.

Qui, ut decet, recte et prudenter se gerere desiderat, is quædam majoris momenti axiomata in animo semper habeat, quæ ei in peculiaribus casibus agendi norma sint. Ex his præcipuum est: *Pastor sacer operam det, ut suorum amorem, et benevolentiam sibi et comparet, et conservet.* Ei tantum, qui carus est, libenter faciles præbentur aures, et magister auditores fere jam convincit, quibus persuasum est, illum nihil nisi veram eorum felicitatem spectare.

3.

Inde sequitur, partim omnia ei esse vitanda, quæ eum suis invisum possint reddere. Inter alia huc perti-

nent, *a*) ut non facile litibus cum suis sese implicet: *b*) negotiis alienis se non ingerat: *c*) singulari quosdam præ aliis amore non complectatur: *d*) rebus connubialibus, seu conciliandis nuptiis se non immisceat: *e*) ad publica munia dum commendat, a partium studio sit alienus.

4.

Partim vero omni ratione enitatur, ut hominum amorem, fiduciam, et benevolentiam sibi conciliet. Cum vero cum duntaxat in finem amorem sibi debeat parare, ut eosdem emendet, et ad felicitatem ducat, res præcipue in hoc sita est, ut justa et scopo congrua adjumenta ab injustis, et non licitis distinguantur.

5.

*) Communitati ad virtutem exemplo non est; sed potius ad ea abducit, atque ideo male agit, qui alios ad sui amorem his de causis excitare studet; *a*) quod suam vivendi rationem ad licentius viventium modum instituit; *b*) quod, cum male agentes reprehendere oporteret, obmutescit; *c*) quod variis humiliter adulantium technis utitur etc.

6.

Idonea, et justa ad amorem conciliandum adjumenta, aut modos habebit pastor; 1) si recte, atque ordine munere suo fungitur, nihilque officii, ac diligentiæ patitur desiderari. Non potest non amari ille vir, quem omnes omnem curam, ac laborem ad hoc conferre conspiciunt, ut suorum saluti recte consulat. 2) Si beneficus est. Ut esse possit, crebræ se offerunt occasiones. Stipem egenis largiendo, operam dando, ut ægrotorum cura geratur, ditiores rogando, consilia salutaria promendo etc. se eum virum exhibere potest, qui ad JESU exemplum *)

omnibus benefacere cupit. 3) Si familiariter cum suis colloquitur. Qui se erga omnes humanum, comem, alacrem, prontum præbet, plus amabitur, quam qui morosus, et tetricus est. Incredibilis erat Salvatoris erga omnes homines humanitas, ac suavitas, et ejus apostoli ubique humanitatem, morum suavitatem, comitatemque commendant.

*) *Pertransiit benefaciendo. Act. X. 36.*

7.

Alterum e præcipuis axiomatibus est: *Pastor auctoritatem sibi conciliare studeat: eamque norit tueri.* Si quis despicitur, et vilipenditur presertim ab hominibus, quos ea, quæ sub sensum cadunt, in primis movent, etiam ea, quæ docet, despiciuntur, et vilipenduntur; nec facile viro, qui parvi penditur, benevolæ præbentur aures.

8.

Ex his omnibus vero, quæ de pastoralis muneris ratione, et de adjumentis, quibus propositam metam attingat, diximus, liquet, hanc auctoritatem non perinde, ac si supremus dominus, ac judex esset, formidabilem esse oportere. Igitur non sermone inflato, superbo gradu, incessu, minis, inurbanitate, terribili clamore, tumultuando metum, et reverentiam extorquat; sed prudenter et modeste se gerendo sibi paret. Christus ab omni dominandi cupiditate se alienum ostendebat, *) et discipulos suos ab ea etiam prorsus alienos esse cupiebat. **) At evangelista tamen narrat, majori eum auctoritate, quam scribas, et pharisæos, docuisse. ***)

*) *Regnum meum non est de hoc mundo.* Jo. XVIII. 36.

**) *Iesus . . ait: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari; sed ministrare.* Matth. XX. 25-28. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei providentes, non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie:* (amore animarum) *neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* 1. Petr. V. 2. 3.

***) *Matth. VII. 29.*

9.

A quibus alii homines muneris sui causa auctoritate florentes, ea ne imminuatur, sibi cavent, illa semper observet pastor, atque etiam evitet. Huc pertinent joci scurriles, plebeja dicta, ac sententiæ, familiaritas cum infimo hominum genere.

10.

Cum exempla æque, interdum etiam plus, quam verba animos sive ad bonum, sive ad malum moveant, decet, ut sacer antistes in omnibus dictis, factisque suo cœtui præclari exempli facem præferat. Salvator, et apostoli hoc, aliis exemplo ad virtutem prælucendi, officium crebro verbis gravibus inculcarunt. *)

*) *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio; sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. V. 15. seq. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* 1. Tim. IV. 12.

11.

Itaque sollicite vitanda sunt omnia, quæ parochianorum animis offendiculo, sive ut dici solet, scandalo esse possint. Nec satis est, illa tantum evitare, quæ manifeste indecora et mala sunt, sed etiam in animo habendi sunt imbecilles, et ad apostoli exemplum *) in rebus in se nec bonis, nec malis pastorem oportet maxime esse cautum, et ab iis abstinere; si imbecillium salus id jubet.

*) *De escis autem, quæ idolis immolantur*, (respondebat apostolus interrogationi Corinthiorum) *scimus, quia nihil est idolum in mundo; et quod nullus est Deus nisi unus.... Sed non in omnibus est scientia... Videte ne forte hæc licentia vestra offendiculum sit infirmis... Si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* 1. Cor. VIII. 4. 7. 9, 13.

12.

At accidit interdum, ut per actiones bonas hominibus subdolis, et malignis ansa ad murmurandum, cavillandum, persequendum etc. præbeatur. Tum potius respiciendum ad majus commodum, quod ex facto revera laude digno oritur, quam ad minus malas consecutiones, quas maligni ex iis inferre possunt. *) Salvatoris exemplum, cum Pharisæi murmurantur, **) utidem hanc regulam confirmat.

*) *Bonæ res neminem scandalizant; nisi malam mentem.* Tertullianus.

**) "Fecit ei Levi (publicanus, tributi exactor) »convivium magnum in domo sua: et erat turba multa

„publicanorum, et aliorum, qui cum illis erant decum„bentes. Et murmurabant Pharisæi, et scribæ eorum, „dicentes ad discipulos ejus: Quare cum publicanis, et „peccatoribus manducatis, et bibitis? Et respondens „Jesus, dixit ad illos: Non egent, qui sani sunt, medi„co; sed qui male habent. Non veni vocare justos; sed „peccatores ad pœnitentiam. *Luc. V.* 29. *seqq.* Ait „Dominus: Cui ergo similes dicam homines generatio„nis hujus? Et cui similes sunt? similes sunt pueris se„dentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicen„tibus: Cantavimus vobis tibiis; et non saltastis: lamen„tavimus; et non plorastis. Venit enim Joannes Baptis„ta, neque manducans panem, neque bibens vinum; et di„citis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis mandu„cans, et bibens; et dicitis: Ecce homo devorator, et „bibens vinum, amicus publicanorum, et peccatorum. „Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis;" i. e. est adhuc invenire homines probos, qui colant sapientiam, eamdemque probent. *Luc. VII.* 31. seqq.

13.

Ex generalibus hisce monitis facile regulæ peculiares, *a*) de colloquiis a pastore habendis, *b*) de decenti ejus vestitu, *c*) supellectili, *d*) gestibus, moribus corporis, *e*) consuetudine cum aliis, deducuntur.

14.

Liquet etiam ex hactenus dictis, monita quibus apostolus christianos omnes, quid in sermone deceat, quid dedeceat, instruit, ad religionis doctorem præcipue attinere. *Turpitudo*, inquit, *aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, nec nominetur in vobis.* *) Et in alio loco: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus: ut sciatis, quomodo oporteat vos*

unicuique respondere. **) At ne existimetur, nullo non tempore de Deo, et religione loquendum esse. Interdum de his frequentissime verba faciunt illi, qui de ipsis rarissime cogitant; neque putetur, qui festivo, sales sermoni aspergit, aut jucunda colloquia miscet sceleris reum esse.

*) *Eph. V.* 4.

**) *Coloss. IV.* 6.

15.

Certum esse existimamus, primos christianæ religionis magistros tantum impigro amore, assiduo in munere obeundo fervore, animique probitate, non singulari vestium genere ac aliis sese distinxise; neque dubitari potest, illum misellum esse homuncionem, et male personam suam tueri, cujus omnis auctoritas, et fortasse omnis etiam virtus in nigra tantum residet toga. Hac in re obediatur legibus, et consuetudini. Ex eo, quod parochus gravem personam egregie sustinere, et auctoritarem scopo suo congruentem tueri oportet, manifeste patet ei fugiendum esse, quidquid leve et puerile, affectatum, nimis excultum censetur. Hoc enim levibus mulierculis et elegantioribus adolescentulis proprium est. Contra vero vitentur etiam sordes, squallor, immundities, et quidquid nauseam movet. His enim fit, ut male de pastore existimetur, et in aliis admodum displiceat. Sæpe sub neglecto vestitu multum latet superbiæ, et universim Pharisæorum more vestitus suspicionem movet, pharisaica eum duntaxat fulgere virtute, et pharisaica principia fovere.

16.

Eadem affirmari possunt de supellectili. Ex neglectu exterioris ordinis, atque munditiæ facile, et sæpe

recte concluditur, confusam esse mentem, et animum immundum. At nimis anxia exquisitæ elegantiæ, ac munditiæ cura animi rebus levissimis nimium distenti levitatem prodit.

17.

De gestibus motuque corporis multæ, et peculiares regulæ superfluæ, et inutiles sunt. Generatim hæc tantum dicimus. Servetur decorum in habitu, statu, et motu corporis, ejusque partium, capitis, oculorum, manuum etc. Quæratur tantum: Queis gestibus utuntur, quem in modum incedunt, stant, sedent homines dignitate, ac auctoritate in republica insignes? Ad horum exemplum, qui se componit, decorum servabit.

18.

Ut in omnibus, ita etiam in administratione rei domesticæ reliquis pro rerum suarum conditione exemplo sit. *Qui domui suæ præesse nescit: quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* inquit apostolus. *) Prudens vir 1) curam geret, ut habeat domesticos probos, bonæque famæ. 2) Iis lenitate nimia non ita indulgebit, ut sub jugum missus eorum voluntati morem gerere cogatur. 3) Invigilabit eorum moribus, bona disciplina eos reget, ordinemque servabit. 4) Hortabitur, ut concordes inter se sint, et erga alienos humani. 5) Monebit, ne futili loquacitate hic, illic deblaterent; neque permittet, ut sibi de aliis in parochia quidquam per ipsos indicetur.

*) 1. *Tim. III.* 4. 5.

19.

Negotia sua ut animarum pastor recte in suorum commodum, et non mechanice obeat, animo diligenter

ea volutanda, et perpendenda sunt. Itaque is partes suas non egregie sustinere, qui otium suum, sive vacuum a pastoralibus functionibus tempus jucunde sese oblectando, aut alia, quæ cum ejus munere connexa non sunt, agendo contereret. Itaque multum refert, ut tempus bene traducatur, de quo aliquando ipse, ut omnes christiani, redditurus est rationem.

20.

Disciplinarum theologicarum, quibus in pastorali munere utendum est, tam amplus est ambitus, ut semper quidquam occurrat, quod acquisitam rerum cognitionem cum fructu magis augeat. Præterea ad parochianos utili doctrina, quandocunque se offert occasio, instruendos, necesse est, ut pastoris memoriæ permulta insideant. Quam ob rem conceptæ olim ideæ sæpius in eam revocandæ sunt. Male igitur agunt illi, qui, cum pastorale munus consecuti sunt, multam litterarum studiis, librisque salutem dicunt.

21.

Quia, ut ait apostolus, *) *omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum*; et quia *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*: **) manifestum est, oportere nos sacris precationibus vacare. Itaque est, cur ad apostolorum exemplum ***) animarum pastor et sua, et sibi commendatorum causa ad preces et obsecrationes nullo non tempore se convertat.

*) *Jac.* I. 17.

**) 1. *Cor.* III. 6.

***) *Non cesso gratias agens pro vobis; memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus, Domini*

nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, et revelationis in agnitione ejus. Eph. I. 16. 17. "Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri "Jesu Christi.... ut det vobis secundum divitias gloriæ "suæ, virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem "hominem Christum habitare per fidem in cordibus ves- "tris: in charitate radicati, et fundati, ut possitis com- "prehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et "longitudo, et sublimitas, et profundum" (quam in- mensus sit ambitus amoris divini) "scire etiam super- "eminentem scientiæ charitatem Christi." *Ephes. III.* 14. seqq.

22.

Ut animo ardenti, et cum fructu doctrinam sacram aliis proponat, ipse prius, quam doceat, veram et utilem eam esse, certo ut credat, salutaresque animo motus sentiat, necesse est. Ideo sæpe in rerum ad religionem attinentium contemplationem mentem defixam habeat. Cum vero eum in dies magis in virtutis via progredi, et suos, de ea ut non deflectant, hortari oporteat: de suis ipse nævis, de infirmitatibus, de ratione maculas suas abstergendi crebro cogitet. Præterea frequenter secum reputet, virtutisne studium in suo cœtu ferveat, an langueat; quibus periculis sui sint obnoxii; quæ remedia ad tollendos abusus adhibenda; quem in modum muneris sui functiones utilissime possit distribuere.

23.

Cum pastoris sit, homines præsertim in suum cœtum aggregatos corrigere: haud recte agit, si hominum aspectum vitat, et suorum consuetudinem aversatur. E prudenti cum suis usu 1) suorum indolem, ac mores cognoscit: 2) nanciscitur occasionem, eorum animos ad benevolentiam erga se alliciendi. 3) Quandoque sapienti dicto aut consilio magna suis afferet commoda.

24.

Etsi ad exemplum Salvatoris, qui cum hominibus multis etiam sceleribus contaminatis colloquia miscebat, in sensu proprio nullius hominis aspectum, et præsentiam vitare, nullumque ab ea conversatione, quam decorum, aut necessitas postulat, ei licet prohibere: tamen magni interest, ut oblata per occasionem congressio a familiari consuetudine bene distinguatur, et posterioris causa delectus hominum diligenter instituatur.

25.

Quia sacer pastor suam auctoritatem tueri (§. 7.) suæque famæ consulere, et (§. 11.) omnia, quæ communitati offendiculo esse possint, vitare debet: liquet, in familiaritatem non recipiendos, 1) qui male audiunt. Habenda hic semper est ratio imbecillium (§. 11.) 2) Intima familiaritate pastori conjunctus sit optimus quisque, et non ditissimus, aut dignitate maxime conspicuus. 3) Qui semper quodam tantum hominum genere familiariter utitur, offendit reliquos, facitque, ut fiduciam in eo collocent nullam. 4) Quodsi inferioris ordinis homines, pauperesque penitus a se removet, clare indicat, se longe aliud, ac animarum salutem quærere, longeque aliter, ac salvatorem animo esse affectum.

26.

In ipsa congressione, ac societate hominum prudenter eum se gerere, plurimum refert. 1) Igitur pastor semper quoddam gravitatis genus retineat (non severitatem exuat.) Qui in familiari consuetudine sannionem agit, in suggestu doctoris personam difficulter tuebitur. 2) At hac in re modum ne excedat, caveat; et ne,

dum gravis esse studet, morosum, rigidum, ineptum, misanthropum se præbeat. Sic enim hominum animos a se avertit. Sit semper affabilis, et comis; non garrulus, et levis. 3) Nunquam dictatoriam auctoritatem, dum in hominum conventu est, sibi arroget, neque ullam animi elationem ostendat, sed moderatam humilitatem; hæc vero in demissionem (abjectionem) animi, cujus comes plerumque contemptus est, non degeneret. 4) Observentur regulæ decori et urbanitatis. Perniciosum adversus religionem, ejusque præcones oritur præjudicium, si dicitur: Hoc hominum genus ad societatem humanam aptum non est. Et cur liceat religionis magistris inurbanos esse et insulsos?

27.

Accidit interdum in congressionibus, ut indecori quidquam fiat, aut dicatur. Tum imprudentia multum nocere potest. Igitur ne credat, 1) levissima quæque protinus esse reprehendenda, gravioribusque verbis insectanda. In aliorum enim odium incurret, et se deridendum præbebit. 2) Si monitis opus esse existimat, habeat rationem hominum, temporis, loci etc. (Part. I. Sect. III. §. 10.) Silentium, et oculorum obtutus plus interdum valet, quam objurgatio. 3) Errantem objurgando in ruborem ne det; et ideo ne obstinatum reddat, caveat.

28.

Magna opus est prudentia, ut cum diversis hominum generibus, quibus pastor, ceu doctor, sacerdos, amicus, societatis membrum etc. conjunctus est, recte, ut decet, agat, et ad apostoli exemplum *) *omnibus omnia* fiat. Imprudenter se gerendo muneris pastoralis fini obstacula ipse opponit, multasque ipse sibi molestias creat.

*) 1 *Cor.* *IX.* 22.

29.

Ut omnis homo, ita et religionis doctor sublimiori potestati subjectus est. Ut reipublicæ membrum et civis secularibus, et vi hierarchiæ ecclesiasticis superioribus subest. Ex juribus magistratuum respectu sibi subditorum oriuntur officia, quæ his erga illos sunt observanda.

30.

Quod ad supremam in republica potestatem attinet; pastor partim ipse ea præstet, 1) quæ apostolus præscribit: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* *) Partim curam suscipiat, ut parochiani sui eadem etiam faciant. 2) Moneat eos, ut obediant libenter, et edictis augustissimis pareant, (Part. I. Sect. I. §. 67.) ubicumque potest. **) Apostolus vult, ut obsecrationes, et orationes fiant pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt. ***) Gravi culpa se obstringeret, si indignabundorum adversus supremæ potestatis ordinationes querelas et murmura foveret, et gliscenti in eorum animis seditionis igni alimenta præberet. Huc spectat Cæsareo-regium edictum 5. Oct. 1776. "Cum aliqui sacerdotes seculares, et re-»gularium ordinum superiores, ac subditi contra subin-»de (*successive*) promulgata augustissima edicta et le-»ges, quæ ad externam ecclesiæ disciplinam, aut alia »*disciplinaria* vel externa religionis, et temporalia cle-»ri pertinent, minime decenter locuti fuerint, eadem »carpserint, immo contempserint..... Cæsarea Regia Ma-»jestas hæc jam prohibita severissime iterum prohibet, »et omnes, qui horum notitiam habent, et contrave-»nientes sine mora politico magistratui indicaverint, ceu »fideles subditos, et *vasallos* clementissime respicere »non intermittet."

**

*) *Rom. XIII. 7.*

**) *Admone illos* (Cretenses) *principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Tit. III. 1.

***) *Obsecro igitur, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus: pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus, in omni pietati, et castitate.* 1. Tim. II. 1. 2.

31.

Ex eo, quod potestati supremæ obedientia, et reverentia debetur, patet etiam, quid erga ordinata ab ea judicia, et *dicasteria* sit observandum. 1) Quæcunque ab eis transmittuntur, prompte acceptentur. 2) Accurate eorum præscriptis obediatur. 3) Viri, qui in illa collegia cooptati sunt, magni æstimentur, magnoque honore colantur.

32.

Cum ad magistratus regios, qui per regni, aut provinciæ circulos dispositi sunt *) pertineat cura *a*) de religione, ut sarta tecta conservetur una cum iis, quæ eam attinent; *b*) de institutis publicis erudiendæ juventuti destinatis, ac rebus spectantibus scholas publicas; *c*) de conservatione fundationum sacrarum; aut *piarum*, ut vocant, novarum recta ordinatione; *d*) de jurisdictione, de fructuum temporalium negata perceptione, de *inventura*, ut loquuntur, et *installatione*; ubi res est de beneficiis, et parochis, quæ sunt *collationis regiæ*: satis clare intelligitur, quæ sint parochorum erga dictos magistratus officia.

Edictum 24. *Dec.* 1782.

33.

Præcipue autem multum in hoc momenti est, ut erga eos, qui loco præsunt, recte ac decenter se gerat animarum pastor. Igitur 1) tranquille, et concorditer, quoad fieri potest, cum iis vivere studeat, et quæcumque ad pacem firmandam valent, adhibeat. 2) Litibus, et controversiis cum eis se non implicet. 3) Honorem, quem eisdem debet, habeat, et ut a communitate habeatur, curet. 4) Iis demisse, et serviliter ne assentetur, neque committat, ut inconsiderate acceptando beneficia singularia libertatem sibi adimat, in casibus occurrentibus, officio suo rite, ut oportet, ac ut æquum est, perfungendi, recteque agendi.

34.

Accidit interdum, ut ad tollendos abusus implorare oporteat opem *brachii secularis*; *) ut fert communis loquendi usus. Indaget ante omnia, 1) num bene affectus sit is, qui loco præest; alioquin destinata incassum irent; fieretque fortasse, ut aliis esset ludibrio. 2) Gravibus solum, ac urgentibus de causis; postquam omnes persuadendi modi frustra tentati fuerint, ad id consilii descendat. 3) Si fieri potest, silentio tegatur, qui rem denuntiavit: ne in odium, et vindictam reorum incurrat. 4) Si res est de via modoque reparandi *scandalum*; ea suggerenda, quæ, quantum rerum conditio sinit, videantur esse mitiora.

*) *Part. I. Sect. I.* §. 100.

***

35.

Inter antistites ecclesiasticos primum sibi locum vindicat episcopus. Quæ sint ejus ex inspectione, et cura in omnes subordinatos animarum curatores nascentia jura, et parochorum erga eum officia, ex jure canonico notum esse oportet. Debetur nempe ei reverentia, obedientia etc. Quoniam episcopus generalem tantum inspectionem in peculiares cœtus habet; neque singula pervidere facile potest; eorum, qui singulis cœtibus præsunt, est grassantia in iis vitia, et abusus eidem indicare, et idonea, ad ea tollenda, remedia proponere. Id quod in congregationibus synodalibus, ubi usitatæ sunt, et in visitationibus fieri quam commodissime potest. Semper in ecclesia Dei, ut præcipue in consiliis patuit, subordinati animarum pastores consiliarii, non servi fuerunt habiti, qui domini præcepta, nullo adhibito consilio, exsequuntur, de communitatum salute minime solliciti. Episcopi constitutionibus per consistorium prodeuntibus obtemperandum esse, satis liquet.

36.

Ex dictis etiam colligendum est, quid erga Suffraganeum, Vicarium Generalem, Decanum, Archipresbyterum etc. sit observandum; de quibus in jure canonico copiosius agitur.

57.

Cum omnium, quæ ad externum religionis cultum pertinent, pastor curam gerere debeat: arcta ei conjunctio, et societas est cum iis hominibus, quorum curæ ecclesiarum bona, ornatus, ædificia etc. comendata sunt. Plerumque appellantur *ecclesiarum patres*. Magni refert, ut homines perspectæ probitatis, et sinceræ pietatis hoc negotium administrent. Ad hoc pastor etiam consilium et operam conferat. curetque, 1) ut, si jus suffragii habet, eligantur homines hac laude insignes. 2)

Studeat, quoad fieri potest, ut sibi cum illis bene conveniat: omnia devitet, e quibus dissensio possit oriri. 3) Curet, ut secundum augustissimum præscriptum singulis annis rationes de rebus ad ecclesiam pertinentibus recte conficiantur, et ecclesiæ, aut fundationum pecunia tuto elocetur, et ad rectum usum expendatur.

38.

"Rationes ad formulam (quam exhibet edictum „hac de re vulgatum) typis editam conficiantur, *) et „ab ecclesiæ præposito aut quicumque a rationibus est, „patrono oppidi, aut pagi magistratui, aut ubicunque „alias redditæ fuerunt, congruenti tempore exhibean„tur. Ab his vero cum proxime antecedentibus tradantur „calculatori perito, ut eas accurate perlustret, et erra„ta annotet. Tum instituatur congressus, et in eo ra„tiones rite prælegantur, deprehensa errata perpen„dantur, factâque correctione, recte, ut est necesse, „cuncta ordinentur. Huic negotio tantum parochus, „sive *curatus*, administrator, vel judex, duo assesores, „et judicii scriba intersit."

Nota I. "Si alia, ac in formula notata accepti et expensi capita (rubricæ) occurrunt; eadem in rationum codici rite notanda, et singulis capitibus singula speciatim cum necessariis testimoniis, et apochis inserenda sunt."

Nota II. Siquis census, aut aliud, quod debetur, non redit, inter accepta tamen referendum, et finali summæ addendum est, ut acceptorum ratio cognoscatur et quantum sit ecclesiæ patrimonium, seu quas opes habeat, possit definiri.

Nota III. Ex rationibus justo ordine confectis tradendum in fine anni compendium (*extractus*) insertis cujusque capitis summariis, et addita finali acepti,

et expensi summa perfacile, distincte, et ad necessarium usum percommode confici potest.

*) *Edictum* 24. *Sept.* 1774.

39.

Ex augustissimo edicto *) nullo unquam in casu homini privato, quamvis per ejus opes satis superque cautum esse videatur, ecclesiarum, aut fundationum pecuniam mutuam dare licet; sed locanda est tantum publico fœnori (publicis fundis.)

*) 21. *Maii* 1782.

40.

De abalienandis bonis ecclesiasticis, sive ædium sacrarum mobilibus sive immobilibus exstat edictum cæsareo-regium, *) quod universo clero, communitatibus æque, ac singulis prohibet omnem venditionem, permutationem, renuntiationem, donationem, paucis, quamlibet abalienationem bonorum ecclesiasticorum, aut sacrarum ædium sub quocumque nomine, et prætextu sine petita per provinciæ gubernium, aut regimen, et impetrata permisione. Hoc interdictum extendit se ad omnem, quæ cogitari potest, alienationem ad fundos et *realitates*, ad census (vulgo *capitalia*) ad pretiosa ecclesiarum, et domorum omnia mobilia, quæ ad usum œconomicum non pertinent, omnes reditus, quocumque nomine appellentur. **) Universo clero, seculari et regulari prohibetur, ***) ne pecuniam fœnori accipiant aliquo ecclesiastico, vel ædis sacræ bono oppignorato facultate per provinciæ gubernium aut regimen prius non petita, et obtenta. In omnibus præterea parochiis eas res tantum vendere licet, e quarum venditione parochiis, et ecclesiis majus commodum est sperandum.

*) *Edictum* 5. *Oct.* 1782.

**) 16. *Febr.* 1783.

***) 10. *Aug.* 1776.

41.

Fidei (securitatis) causa a publicis institutis (fundis) datæ apochæ in ærario (*cassa*) ecclesiæ cum aliis majoris momenti litteris seu documentis, et præsenti pecunia ad expensas fortuitas destinata asservantur. Ipsa vero cista collocanda est in sacrario (*sacristia*) aut in camera ab igne tuta arcis dominicæ, et tribus diversis seris munienda; clavium ad eas recludendas unam habeat patronus, alteram parochus, tertiam primus ecclesiæ pater. *)

*) *Edictum* 5. *Sept.* 1748. Vide *epitome legum.*

42.

Ad ecclesiæ patrimonium certius conservandum non parochis, immo ne consistoriis quidem licet, publico fœnori locatam ecclesiæ pecuniam sine consensu ecclesiæ patroni et magistratus reposcere seu restitutionem indicere. *)

*) *Epitome legum pro exteriori Ecclesiæ regimine; de fundationibus Ecclesiasticis.*

43.

Singularis prorsus cura rei scholasticæ habenda est. Quantum ea ad bonos cives, et christianos formandos conferat, satis constat. Quare cum pastori in hoc toto pectore in primis incumbendum sit, ut of-

ficia et christiana et civilia expleantur: dubitare non licet, quin et scholæ magister, *) et commissa ei scholastica juventus ejus curæ, ac vigilantiæ sit demandata.

*) Vid. *Patrioticus Concionator etc.* Leips. 1781.

44.

Omnis eo conferenda est opera, ut rerum intelligens, et probus vir gravissimo huic muneri præficiatur. Si, quod non leve communitatis malum est, scholæ præest homo, qui aut omnino ineptus, aut exempli pravitate, vitæ licentia, inurbano, et tretico agendi modo plus nocet, quam prodest; et si sæpe monitus animum ad meliora consilia non applicat, dubitandum non est, quin hoc illis, ad quos attinet, indicandum sit. Præstat virum hunc amittere, quæ ad victum ei suppeditabantur, et quæ is non merebatur, quam tot tenera ætate florentes nihil ab eo futuram vitam utile discere; immo corrumpi. Quodsi pastor id de religione sibi duceret (anxia conscientia eum impediret) magnum hinc acciperetur detrimentum.

45.

Scholæ magistro, et religionis doctori idem prope muneris propositus est finis; nempe ut clariori luci illustretur, utilibusque præceptis juventus formetur. Itaque amice una versentur, viribusque junctis ad propositam metam studeant pervenire. Hac de causa 1) pastor scholæ præceptori amicum semper se exhibeat. 2) Eundem non parvi pendat; sed in pretio, ut muneris ejus ratio meretur, habeat. 3) Sæpius cum eo colloquatur de illis, quæ forte emendanda sunt. 4) Curet, ut scholastica juventus eum, qua dignus est reverentia, colat. *)

*) *Manifestum igitur est, scholæ magistrum, si fortasse reprehensione dignus est, non coram juventute a pastore esse objurgandum.*

46.

Hæc vero, quæ inter eos intercedit amicitia, in perniciosam non degeneret familiaritatem, quæ pastoris auctoritati obest; et sæpe necessariis monitis vim, et robur adimit. Nam licet ex edicto cæs. reg. res scholastica semper inter politica habenda sit, atque ideo nullus ludimagister a clero tantum admitti, et ab officio amoveri possit; sed tantum cum simul æditius est, in functionibus ecclesiasticis parocho subest, sive a parocho dependet; tamen parochus ruri præsertim semper est inspector ludimagistrorum. Ob hanc curam attendendum est, 1) an scholæ præceptor præscriptam docendi methodum bene cognitam et comprehensam habeat, eaque apte utatur; 2) an munere suo impigre fungatur; an in ejus schola disciplina, et ordo vigeat; 3) an rectum cum discipulis agendi modum teneat; an non immoderata severitate, aut nimia lenitate, quo minus rite formentur, impediat.

*) 13. *Oct.* 1770.

47.

Ob juventutem scholasticam ante omnia curandum est, ut qui requisitam ætatem attigerunt, scholas sedulo frequentent. Ideo monendi sunt parentes, ut liberos suos ad hoc diligenter adhortentur, ac incitent. Quem in finem iis proponi potest, quantum gaudium, quantum commodum sint aliquando percepturi, quanto ipsis solatio, honori, ac subsidio in senectute futurum sit, ut liberi utili doctrina instructi aliquando utilia

reipublicæ membra evadant, et sibi ipsi victum variis modis valeant comparare. Ex edicto cæs. reg. *) singulis annis ante anni scholastici initium ob confirmationem, et adjumentum (promotionem) normalis docendi methodi edictum august. 20. Oct. 1781. a singulis parochis e catedra publice prælegatur, et ad hanc rem postea in concione eadem die habenda parentes congruenter admoneantur, ut liberos suos frequenter in scholas mittant, atque ut suæ Majestatis grave mandatum recte intelligant, curetur. 2) Liberis vero in publicis, et peculiaribus sermonibus claro, et intellectu facili modo res ita proponenda est, ut ipsi cognoscant, ignorantiam rerum illarum, quas addiscendi commoda adest occasio, multa incommoda esse allaturam. Nam ab aliis contemtum iri, vix habituros, quo vitam sustentent, sorte sua minime fore contentos, etc.; contra vero si seduli sint, et tempus bene collocent, aliquando bonos felicesque homines futuros esse. 3) Curet parochus, ut notentur, qui scholas non adeunt, interroget eos, cur abfuerint; inquirat in causam apud eorum parentes etc.

*) 21. *Sept.* 1782.

**) *Formulam recte ordinatæ tabellæ scholasticæ vide in excerpt. legum de externa administratione Ecclesiastica.*

48.

Certissimum est, pueris viam, quam fieri potest, facillimam ad discendum esse aperiendam, et removenda omnia impedimenta, ac difficultates. Ideo curam gerat; 1) ut discipuli omnes necessariis instructi sint libris; pauperibus eosdem, aut divites ea de causa rogando, aut scholastico instituto id indicando, aut suo ære procuret: 2) si conclavia scholastica non satis commo-

da sunt, si nimis tenebricosa, angusta, frigida, calida, humida, valetudini discipulorum noxia, his incommodis, queis potest, modis mederi studeat.

49.

Præcipue autem ad puerorum mores animum advertat. 1) Diligenter indaget, an in ipsa schola regnet modestia, ordo, silentium etc. 2) Observet ea, quæ inordinate cum tumultu fiunt, cum e schola discedunt. 3) Curet, ut malæ indolis pueri, quoad fieri potest, ab aliorum societate segregentur.

50.

Ex his, quæ diximus, scilicet pastorem oportere invigilare scholæ magistro et scholasticæ juventuti, patet, sæpius, et quod utilissimum est, ex improviso lustrandam, seu visitandam esse scholam. Quid vero et ratione magistri, et discipulorum in primis spectandum sit, liquet ex Parte I. Sect. II. §§. 26. 37. *)

*) *Legatur etiam liber: De recentioribus libris, quibus hominum religio et mores perficiantur.*

51.

Ex eo, quod pastori in recte formandæ juventutis curam incumbendum est, proxime etiam sequitur, non tantum necesse esse, *a*) ut vero erga pueros amore incensus sit, et *b*) ad eorum captum sermones accommodet; sed etiam *c*) rerum scholasticarum satis peritus *) alios bene educandi modum norit. **)

*) *Perdifficile est, e tanta scriptorum multitudine, quæ huc attinent, seligere ea, quæ maximæ sint utili-*

tatis. Multa inveniuntur in Seilers De instituendis populi Magistris, Concionatoribus, Catechetis, Pædagogis etc. Præcipue huc spectant: Novus Æmilius, sive de educatione etc. Erlangen 1768-1774. Fried. Gabr. Resewitz. *De emendanda publica educatione etc.* Berlin 1778-86. *Bibliotheca Scholarum ruralium etc.* Berlin 1780. *Generale examen omnium quæ pertinent ad educationem etc.* Hamburg 1785-86. *Hujusque vol. 5. Scripta nova destinata usibus puerorum, ac generatim dijudicata invenire est in opere inscripto: Bibliotheca puerorum usibus accommodata etc. Frankf.* 1787.

52.

Arctissimo vinculo parochus conjunctus est suis in pastorali munere adjutoribus, collaboratoribus, cooperatoribus, capellanis. Hi suis laboribus impositum ipsi onus allevant, idem iis, qui ipsi in fungendo munere propositus est finis, idem character; licet ipsius curæ (inspectioni) subsint, et tam multa in muneris administratione experti nondum sint. E quibus variæ deduci possunt animadversiones, quem in modum cum iis agendum sit.

53.

Salutares muneris sacri fructus non proveniunt, et parochianorum animi offenduntur, si parochus alienus ab illis est, et intestino bello dissidet. Studeat igitur, concordi cum adjutoribus suis animo vivere, pacemque servare.

54.

Quoniam in principio modi munus recte obeundi nondum satis gnari sunt: absonum est, desidia suadente, eisdem difficillimarum, et maximi momenti functionum gravissimum onus imponere: tempusque ad se-

se melius formandos necessarium adimere; itaque pro recta parte seu justa proporcione functiones cum iis partiatur.

55.

Etsi non ita modum severi cujusdam censoris (castigatoris, ludimagistri, aut Orbilii) cum iis agendum est: tamen perutilis eis præstatur opera, et singulare beneficium, cujus causa probi memorem gratumque semper animum præstabunt, si, quæ expertus est atque usu didicit, in colloquiis familiaribus cum eis communicet, eosque doceat, quid in his illisve casibus agendum, in quibus occasionibus facile possit peccari, quænam hoc vel illud negotium aggrediendi optima ratio, quæ sint, quibus communitas maxime indigeat etc.

56.

Si pastori prava in suo cœtu exempla nequaquam ferenda sunt, certissimum est, vigili oculo, quid sui adjutores agant, qui eorum mores sint, observandum esse. Sed si monendos ducit, ipse apostoli monitis pareat: *) *Si præocupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum; ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate.* *)

*) *Gal. VI.* 1.

57.

Quamquam primus, et præcipuus pastoris finis in eo situs est, ut interiori hominum felicitati consulat: tamen vir bonus non tantum ut homo, et christianus; sed etiam ut religionem docens externis suorum miseriis, et calamitatibus non potest non commoveri. Rerum ad vitam tuendam necessariarum indigentia perturbat animi quie-

tem, præbet causam, ut religionis christianæ præcepta violentur, atque ideo virtutis progressum impedit. Quare etiam pastori pauperam, qui in sua parœcia sunt, suspicienda est cura. Apostoli sua vocatione non indignum existimabant, curare, ut pauperibus ad vitam sustentandam necessaria non deessent; servabant in commune collata, et dividebant ipsi singulis; prout cuique opus erat. *) Hoc vero opus multis laboribus coacti probatæ virtutis, bonique testimonii viris committebant. **) Notum est, Salvatorem nostrum, si quando iis, ad quos verba faciebat, corpori alendo necessaria deessent, opem ipsis tulisse.

*) *Neque quisquam* (Act. VI. 34. 35.) *egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant; et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.*

**) *Crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos; eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine.* Act. VI. 1. seqq.

58.

In primis ergo sit humanus, comis, mitis erga hos infelices. Nihil est, quod hominem miserum magis affigat, quam si ad inopiam accedat etiam contemptus; præsertim ab eo, quem ab omnium hominum magistro

decuisset dedicisse, ut in pauperibus ipsum Salvatorem agnosceret. Egregius pastor *a*) in modo sese gerendi, *b*) in congressu (conversatione) *c*) in muneris functionibus pauperes, et divites eodem loco, ac numero habebit; inopisque animam tantidem, quanti opulenti faciet. Huc præcipue spectat locus *Iacobi II. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in candida veste præclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum? Audite, fratres mei dilectissimi: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

59.

Ut religionis doctorem fidelibus omnium virtutum exemplar oportet esse; sic etiam beneficientiæ erga pauperes. Quidquid eidem a necessariis expensis residuum est; quidquid in usus necessarios non expendit, pauperum patrimonium esse, censent ecclesiæ patres. Itaque pro ratione eorum, quæ ipsi redeunt, beneficum se exhibeat. *)

Quomodo potueris, dicebat ad filium Tobias, *ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit; etiam exiguum libenter impertiri stude.* Tob. IV. 8. 9.

60.

Quæ fortasse pro opum suarum tenuitate præstare nequit, præstare poterit rogando alios. Sexcentæ ei oc-

casiones sunt, egenos in suo cœtu locupletibus commendandi. In publicis sermonibus exponere potest, quæ sint Christianorum erga pauperes officia: potest in peculiaribus, seu privatis instructionibus collatam in egenos stipem, ceu insigne virtutis adjumentum, et præclarum opus commendare. Potest, quin contra Part. I. Sect. III. §. 124. peccet, dum ægroti suprema sua ordinant, pauperum causam agere.

61.

Verum minus cauta parochi liberalitas peccaret contra religionem, et rempublicam; velut si stipem largiendo hominum, quibus ad laborandum vires sunt, desidiam aleret. Multum igitur refert, ut vere pauperes a commiseratione, et ope indignis recte distinguantur. Id intelligendum est æque de stipe, quam de suo largitur, ac de illis, quæ Christianorum beneficentia inter pauperes distribuenda ei suppeditat. Investigetur ergo diligenter, quæ horum hominum conditio sit; neque tantum eorum lacrymis, suspiriis, ejulationibus fides habenda est. Hæc enim simulata paupertas sæpe effundit facilius, quam vera inopia.

62.

Quoniam Christiano docendi officio præcipuus propositus est finis, ut homines emendentur, et doceantur; et pastor omni, qua potest, occasione ad Christianos utili doctrina imbuendos uti debet: etiam, dum pauperum inopiam sublevat, eisdem salutaria monita impertiatur. Hortetur ergo eos, ut, quæ donantur, bene collocent, collata in se beneficia grata memoria prosequantur etc. *)

*) *Part. I. Sect. III.* §. 103.

63.

Per edictum cæs. reg. 22. Maii 1783. omnes, quæ vigebant, fraternitates in unam mutatæ sunt, cui nomen datum ab actuoso proximi amore erga pauperes ope destitutos. Ideo singularis parocho incumbit cura, ut hæc ad pauperes juvandos instituta societas in parochia sua conservetur, et augeatur. *) Cum, ut fert edictum cæsareo-regium, **) plura *dominia*, communitates plures institutum tam salubre.... absque sufficiente ratione, ac, ut apparet, ob defectum necessariæ instructionis communitatibus impertiendæ, tum ob negligentia, commoditatem, obstinationem multorum præfectorum, fors etiam nonnullorum parochorum, et ipsorummet loci dominorum introducere renuerunt; simili etiam modo, ubi hoc institutum reapse invectum est, se conjungere dominis aliis ad unum obtinendum finem principalem tergiversantur..... Augustissimæ voluntati convenienter acturum se esse judicavit provinciæ regimen (gubernium) omnibus animarum curatoribus ruri demandare denuo, ut communitatibus commoda hujus instituti, ac unionis plurium communitatum in principali quodam provinciæ tractu, modo captu facile exponant. etc.

*) *Ut omnes homines clare intelligant, quæ sit hujus ad pauperes sublevandos institutæ societatis conditio de Comitis* Buquoi *instituto unum exemplar, una cum excellentibus concionibus* Augustini Zippe, *Rectoris generalis Seminarii* Pragensis, *et meditationibus* Muratorii *de tollenda mendicatione et pauperum sustentatione singulis, qui magistratum gerunt, singulisque animarum curam habentibus trasmissum est; ad quod brevitatis causa provocamus.*

**) 1. *Febr.* 1784.

64.

Inter alia præcipitur, *) ut a circulorum præfectis, et parochis notentur novæ fraternitatis socii (membra), eligantur pauperum patres, hisque et parochis adjuvantibus notentur revera pauperes. Præterea debet parochus, una cum pauperum patribus, quos inter et ipsum concordiam et amicitiam semper oportet intercedere, indices donandorum pauperibus vestimentorum, et thoralis supellectilis (lectisterniorum), item indices communes, schedulas menstruas, et hebdomales, territorii dominis tradere; matriculam vero in parochia retinere. Quia in colligenda stipe plerumque parochus miti, et prudenti persuasione plus, quam alii hominum animos movere valet: ideo fieri si potest, symbolas seu liberalium dona ipse colligat.

*) *Edictum* 22. *Maii* 1783.

65.

Præterea, ex edicto cæs. reg. *) quod subsidium pauperum quisque mereatur, et quem in usum eleemosyna impendenda sit universim in parœciis singulis, præsentibus parocho, præpositisque, quos communitates ipsemet elegerint, et de quibus bene confidant, gratis eo munere fungentibus, maxime, quam fieri potest, aperte statuatur, et a calculatoribus suffragio singularum parœciarum, ad hoc constitutis rationes plenæ, accuratæque conficiantur. Præterquam quod hujusmodi rationes in singulis communitatibus a parochis, et præpositis perlustrentur, et corrigantur, permittitur membris singulis, rationum libros, una cum pauperum conscriptionibus, ac modos pauperibus distribuendarum portionum inspicere, et de recto communium

beneficiorum usu judicare. Ut autem inter omnes constet, utrum beneficia ad rectum, promissoque fini convenientem usum impendantur, singulis annis libello typis vulgato notitia reddatur tum de his, quæ rediderunt, syngrapha notatis, tum de iis, quæ pyxide collecta fuerunt. Hinc perpicue cognoscitur, hoc in negotio, omnem, quæ potest, adhibendam esse accurationem, et fidem.

*) *Edictum cæs. reg.* 1. *Aug.* 1783.

66.

Cum institutum publicum sublevandæ egenorum inopiæ destinatum mendicatione in templis, ædibus privatis, in viis ac plateis, præ domorum et ecclesiarum foribus haud parum impediatur: petierunt hi, quibus demandata est suprema directio rerum fundationes pias, ac egenos attinentium, *) ut per ecclesiasticum consistorium curetur insinuari parochis, verbi divini præconibus, et curatoribus animarum, ut in sermonibus publicis, et monitis tribunali sacro, atque colloquiis privatis populum moveant, et instruant, ne in mendicos in templis, ædibus, aut alibi stipem erogent; sed jubeant eos, se sistere parochis; alios autem, quos norint rei domesticæ difficultate premi, commiseratione dignos, in silentio ope suffulciant; aut ad eos adjuvandos in hac alterave parochia, facta mentione pauperis, vel expresso paupertatis genere, singulis hebdomadibus universe stipem pecularem super addant. Cum enim uti non dare stipem, ita dare actio sit liberi arbitrii: liberum autem arbitrium veritatibus e ratione et religione petitis, propositisque flecti debeat; haud immerito videtur illa ratio facile esse omnium securissimum, male ordinatæ stipis elargitioni ponendi remoram; si doctores populi vivida persuasione, quæ animos moveat, quacumque occasione incul-

cent, quantopere privata stipis distributione in menditabula publica lædatur obedientia superioribus debita ordo reipublicæ perturbetur, commune bonum contemnatur, immo securitas publica impediatur; quandoquidem otium, et conjuncta cum eo diversa scelera, vivendique licentia inde sæpe nutriantur, pauperibus dignioribus necessaria vivendi subsidia substrahantur, ac in indignos prodige effundantur etc.

*) 17. *Febr.* 1784.

67.

Mutato instituto, quod expostitios, et pupillos attinet, parochorum est, invigilare liberis, qui hominibus rusticanis ab his, qui unito expositiorum, atque pupillorum instituto præsunt, alendi committuntur. Generatim edicto cæs. reg. *) curam animarum gerentibus summopere commendatur, 1) ut hisce liberis maxima diligentia attendant, sive quod corporis curationem, sive quod instructionem animi spectat; scholæ etiam magistris, quibus haud licet, quocunque titulo, flagitare quidquam, ceu institutionis scholasticæ pretium, omnem inculcent sollicitudinem pro iis habendam. Cum, ut sancitur eodem edicto, hi liberi alendi, educandique committuntur illis potissimum, qui a pastore sacro litteris commendati fuerint: 2) in parochorum integritate, quos omnium optime nosse oportet, qui sint idonei, plena fiducia collocatur, eos ab ipsis eligendos esse, voluntati Augustissimæ certius ac multo accuratissime sint responsuri. 3) Parochorum est, suppeditatis sibi ab iis, qui orphanotropheorum instituto præfecti sunt, pecuniis satisfacere his, quibus alendi traditi sunt liberi; et quidquid expenderint, in diarium typis editum, secundum præscriptam formulam, referant.

*) 6. *Febr.* 1784.

68.

Accepta, et expensa diario typis exscripto hunc in modum inserantur. In columna prima notentur annus, mensis, et dies, quo pecunia accepta fuerit, aut solutio præstita. Acceptorum et expensorum articulus quisque proprio signetur numero, numeris ordine sibi succedentibus, collocatisque in columna, quæ exhibet acceptorum, expensorumve articulos. In adnexo ampliore spatio notetur, unde et per quem suppeditata sint accepta. In expensis vero notetur, cui, ad quid, pro quo ex liberis, et pro quo mense facta sit solutio. Si acepta est pecunia, id est referendum in columnam acceptorum; si expensa, inferendum id est columnæ proximæ, expensis destinatæ. Postrema vero columna vacua maneat; quippe quæ usui duntaxat est iis, quibus rationum examinandarum provincia demandata est.

69.

Solutio ipsa præstanda est hoc modo: Ante omnia præsens sistatur pupillus, aut expostititius; una cum scheda typis impressa, quæ nomen ejusdem, et diem, quo in domum expositiorum illatus est, et numerum *protocolli* exhibet; præter litteras pariter typis exscriptas, quæ contractum continent, quas, dum traderetur infans, præfecti orphanotrophei extradiderunt nutritio. Litteræ contractus indigitant, quid, quantumve sit solvendum pro diversitate ætatis, qua est pupillus, aut expostititius. Nota autem de præstita ipsa solutione litteris, quæ contractum continent, spatio ad id destinato, consignetur a parocho. Separatis temporibus *Commissarius Circuli* in loco comparebit, accipiet diarium, rationibus finem imponet: suppeditabit denuo pecunias parocho, eidemque tradet, plagulam

diarii typis impressi, in usum semestria proxime futuri. Ex suppeditato eo peculio promendum pariter est, quod fuerit necessarium ad ferendos sumptus, quibus opus est ad litterarum commercium, quod habendum est, cum his, quibus suprema directio uniti instituti pupillorum, atque exposititiorum commissa est.

70.

De casibus sequentibus, ubi evenerint; mox ad orphanotropheum referendum est: 1) Si nutritius infantem diutius alere abnuit: aut si negligentius illum habet, ut relinqui ei non possit: in utroque casu statim proponendi sunt alii, quorum curæ committi queat. 2) Si infans vita fungitur, mox scheda, quæ nomen infantis etc. continet, repetatur; annotatoque, in schedæ tergo, obitus die a parocho, trasmittatur ad orphanotropheum. 3) Si infans primo ætatis anno diem obit; repetenda pariter sunt indumenta, aliaque, quæ ad eum spectabant, asservanda usque ad adventum Commissarii; quod quidem pariter in diario adnotetur.

71.

Quantum ad assignationes typis vulgatas, quæ attinent pecunias expendendas pro victu exposititiorum, qui aluntur in pagis, quodque spectat earum comissionem ad ærarium statuum provincialium tributis excipiendis destinatum, hæc instructio proposita est: *) 1) Plagulæ earum assignationum: aut ternionis inter se ligentur. 2) Assignationes geminæ, juxta se positæ, initio ducto a numero 1., ordine continuato, semper eodem modo, sive numero signentur. 3) Expleantur spatia vacua nominibus: *a*) ærarii, dominii, excipiendis tributis deputati; unde solutio pro victo præstita

est; *b*) quadrantis circuli, sive districtus: ubi ærarium (cassa) exstat; *c*) parochi, qui pecuniam accipit; *d*) loci parœciæ; *e*) temporis, pro quo pretium victus solutum est; *f*) numeri lactentium, aut liberorum, qui educantur; *g*) quantitatis pecuniæ; *h*) diei quo pecuniam accepta. 4) Illi assignationi, quæ notata est: *Directio uniti Viennensis instituti expositiorum, et pupillorum*, nomen, et insigne parochi, una cum verbis: *Rite accepi*, addantur. 5) Assignatio, hunc in modum comparata, resecanda est e libro, et præfecto dominii, parocho pretium pro victu liberorum solvit, tradenda. Præfectus dum satisfacit tributo, ad ærarium supremæ præfecturæ statuum provincialium excipiendis tributis destinatum eam assignationem mittit loco pecuniæ in ea notatæ. 6) Alia autem assignatio in libro parochi, sive ternione illæsa relinquitur, ad ejus defensionem; debetque a præfecto dominii ita, ut eam, quæ resecta est, a parocho accepit, subscribi; quæ postea tanquam scheda antigrapha parocho futura est usui. 7) Parochorum itaque est, istiusmodi terniones asignationum apud se relictos diligenter asservare, ut, dum rationes reddendæ sunt de rebus pupillos attinentibus, coram directoribus instituti expositiorum, et pupillorum tueri se possint.

*) 6. *Junii* 1785.

72.

Cum hominibus alienæ religioni addictis prudenti modo animarum pastor agat. Hanc in rem notanda sunt verba ex institutis Collegii Germanici Hungarici Ticinencis: *Lenitas præsertim, et charitas adolescentibus* (Collegii alumnis) *commendanda; tum ut quam maxime abhorreant ab odio illo, si ita loqui fas est, theologico, quod pessime semper de parte adversa sen-*

tit, et judicat; quo fit, ut magis exacerventur adversariorum animi, longiusque a nobis recedant. His præceptis imbuti, in quo proprie christiana tolerantia sita sit, intelligent. Qua tolerantia fiet, non quidem ut errorem ac veritatem perinde habeant; quod cum ipsa natura veritatis ex adverso pugnat; sed ut mutua pacis et benevolentiæ officia exerceant, etiam adversus errantes fratres, ac siquando disputandum cum iis sit, nunquam ut inimici litigent; sed pacifice; atque amanter agant; denique confodiant errores, quin homines lædant. Cap. IV. §. 4. *)

*) *Recte admodum generalis Seminarii, quod* Pragæ *est, dignissimus Rector* Zippe *in suo de morali formatione clericali militiæ recens adscriptorum tractatu Sect. IX §. 1. inter morales intolerantiæ causas enumerat ambitionem (dominandi cupiditatem) proprii commodi studium, desidiam in cognoscenda, et exercenda virtute. Infausti affectus jam ab antiquissimis temporibus dissidia pepererunt, alueruntque. In novis religionis doctoribus si extinguantur, etiam intolerantiæ fomes extinguetur.*

73.

Ex officio, omnem amorem, et benevolentiam iisdem præstandi, proxime sequitur secundum edictum cæs. reg. *) ab omnibus controversiis, et conviciis in cathedra, catechizationibus, et conversatione esse abstinendum.

*) *16 Ian.* 1782.

74.

Ne vero levis animi homines ad aliam religionem facile transeant, et ut mala, quæ inde oriri possunt,

impediantur, tantum doctrina JESUCHISTI, et catholicæ ecclesiæ explicanda est; quam solida et utilis, illa sit, quin mordacibus dictis mordeantur adversarii, demonstrandum, magisque religio, et moralis doctrina hominibus inculcanda, et commendanda, quam eruditio, e theologicæ disceptationes populo has non intelligenti venditandæ. Cum multi catholicorum subditorum, ait edictum cæs. reg. *) neque hujus, neque illius religionis rectas solidasque habeant notiones, et facile, sola quorumdam heterodoxorum persuassione, a catholica religione abduci se sinant: in his occasionibus virorum ecclesiasticorum officium est, hujusmodi dementes et rudes homines benigno, leni, gravique, qui eos convincat, sermone ad rectam viam revocare, et meliora edocere.

*) 14. *Jan.* 1782.

75.

Idem pacis et charitatis studium communitati suæ quandocunque potest, parochus alte imprimere enitatur. Subditi catholici, inquit cæs. reg. edictum *) fratribus suis errantibus omnem amorem, ac benevolentiam exhibeant, et omnibus disceptationibus de religione, multoque magis convitiis, probris, injuriis, et vi abstineant.

*) 16. *Jan.* 1782.

76.

Speciatim iis, qui magistratum gerunt, pagorum moderatoribus, cauponibus, et aliis augustissimum mandatum proponatur, sumptisque a religione argumentis »moneantur, 1) "ut odio non persequantur, aut aver»sentur eos subditos, qui quietos se præbentes aliam

»tantum religionem profiteantur, multo minus in fa»voribus, aut pœnis ob alia delicta ullo discrimine utan»tur; sed potius mansuete, et amice eos tractent. 2) »Si subditi acatholici ad preces fundendas, aut legen»dum conveniant, et alias quiete agant; eos nequa»quam impediant, turbent, et multo minus, si id fiat »eo tempore, quo catholici cultui divino intersunt. 3) »Si ob injurias, convitia etc. pœna esset infligenda, »eisdem semper distincte, et clare indicetur, cur id »fiat, atque id non religionis, cui addicti sint, causa fie»ri. Ubi etiam observandum, ut, si simul catholici cau»sam præbuisent, et inquietis illis actionibus essent im»plicati, iidem eodem modo sine venia puniantur."

77.

Cum vero quies, et ordo conservari nequant, si partes ambæ eumdem in modum se non gerant, etiam ipsis acatholicis, quoties se offert occasio, proponendum est, non fas ipsis esse, "ut audeant, suos catholicos »cives, uxores, vel maritos, liberos, aut servos ad »suam religionem, minis, aut contemptu cogere, vel im»pellere, nedum conviciis, aut injuriis uti, divinum »cultum alterius religionis spernere, aut despicatui ha»bere, aut conviciis proscindere; immo etiam templa, »imagines, statuas, aut alia externa ad religionem atti»nentia violare: id si facerent, sine ulla venia, non fidei, »aut religionis causa, sed ut publicæ quietis turbatores, »et quod iniquissimo modo aliorum animis vim afferre »conarentur, summa severitate esse puniendos." *)

*) *Idem edictum.*

78.

Cum Augustissimus Imperator partim damno ex illata animis, seu conscientiæ vi; partim utilitate religio-

ni, et reipublicæ e vera christiana tolerantia nascente permotus, Augustanæ, et Helveticæ confessioni addictis, et Græcis non unitis religioni eorum congruens exercitium privatum ubique permiserit, nulla habita ratione, utrum aliquando usitatum, aut introductum fuerit; nec ne; certum est, parochum non posse eos in juribus, et privilegiis, quæ ex hoc religionis exercitio fluunt, ullo modo turbare, quin contra religionem, et augustissimas leges delinquat.

79.

Privilegia hujusmodi in his sita sunt: 1) "Subdi»tis acatholicis in locis, ubi sunt familiæ centum, etsi »non degerent in loco oratorii, aut sacri antistitis; sed »pars eorum etiam horas aliquot distaret, proprium »oratorium, una cum schola indultum est: qui autem »longius dissiti sunt, vertere se possunt ad proximum, »attamen in provinciis cæs. reg. hæreditariis situm »oratorium, quoties eis lubet, etiam sacrorum minis»tri in terris hæreditariis cæs. reg. constituti commu»nionis suæ socios invisere, et illis, etiam infirmis, »necessariis adesse instructionibus animæ et corpori »præbere solatia permittuntur. Præterea omnia sua sa»cramenta administrare, et cultum divinum exercere, »tam in ipso loco, quam eadem ad ægrotos in filialibus »ad eum locum pertinentibus deferre, mortuosque, pas»tore comitante, publice sepelire, plene illis conces»sum. 2) Penes eos est, præficere scholis proprios ma»gistros, a communitatibus sustentandos; qua tamen in »re cæsareo-regiæ, quæ hic est, scholarum directioni »jus inspiciendi competit. 3) Acatholicis loci cujusdam »incolis, si suos ipsi pastores *dotarent*, et sustenta»rent; integrum ipsis fore eosdem eligere; sin vero »magistratus id in se susciperet, eum jus præsentan»di habere. 4) Imposterum locum nullum fore litteris

»hucusque solitis, queis spondebant acatholici, se libe»ros educaturos esse in religione Romanocatholica; »quandoquidem lege cautum sit, patris catholici libe»ros omnes sive masculini sive feminini sexus in religio»ne catholica esse educandos; (quæ quidem prærogativa existimanda est religionis dominantis) contra pa»tris acatholici, et matris catholicæ liberos, pro ratio»ne sexus patris, matrisve religionem esse secuturos. 5) »Non cogendos esse acatholicos, ut alia jurisjurandi »formula, quam eorum religionis principiis congruenti »utantur, neque processionibus, aliisve dominantis re»ligionis functionibus, si nolint, intersint."

80.

Hæc tamen libertas limitibus quibusdam circumscripta est. 1) Oratorium, nisi jam aliter res se haberet, non habeat campanas, non campanarum turres, nec publicum a platea introitum. 2) Acatholici sub culpa gravissima nunquam impediant, quominus desideratus ab ægroto sacerdos catholicus accersatur. 3) Nulli actus, et nulla munera, quæ in exteriorem religionem ut civiles effectus influunt, peregrinis, qui legibus, et jurisdictioni provinciæ subjecti non sunt, permittantur. Quare acatholici subditi baptizentur, matrimonio copulentur, sepeliantur tantum ab illis, qui a statu, et provinciis jurisdictionem, et potestatem obtinuerint. *)

*) *Decretum aulicum* 13. *Oct.* 1782.

81.

Partim, ne quid, quod sui officii est, negligat parochus; partim, ne in aliena jura involet, opus est scire, quid in munere suo administrando agendum sit eo loco, ubi acatholici habitant. *) Ante omnia notandum est

discrimen, utrum pastor acatholicus in loco catholicæ parochiæ sit; an non.

*) *Edictum* 16 *Martii* 1782.

82.

In casu priori baptizat, matrimonio copulat, sepelit pastor acatholicus, et duos priores actus peragit in oratorio: quia nullo loco constituendus est verbi divini minister, nisi ibidem simul sit oratorium. Protestantes indiscriminatim sepeliuntur in communitatis cœmeteriis. Funus comitatur acatholicus pastor sonante ære campano; quod ideo debetur, erogandum est templo catholicorum. Ludimagister acatholicus cantat in cœmeterio. Protestantibus nunquam licet in templo catholico hujusmodi functiones obire.

83.

Quodsi neque oratorium acatholicum, neque pastor in eo loco est, et ejus loci protestantes nulli vicinæ communitati adscripti sunt, tam in sponsorum copulationibus, quam in baptismo, et sepultura pastoris catholici opera utuntur. Hic in duabus prioribus ministerii sui functionibus adhibet librum ritualem suæ diœcesis; formulas lingua vernacula profert; protestantium funera ad tumulum comitatur etiam parochus catholicus; si ad hoc fuit invitatus: id solum curet, ne cantiones orthodoxo dogmati de purgatorio, aliisve religionis dominantis dogmatibus contrariæ cantentur; et examine corpus tumulo, quem solemni precatione non consecrat (benedicit) inferri curet. Illis in locis, ubi neque oratorium, neque pastor, sed tantum scholæ magister acatholicus est, hic, catholico parocho ad funus comitandum non invitato, funeris exequias celebrat.

84.

Quid sit agendum, dum sponsi disparis religionis copulandi sunt, declaravit Augustissimus, sanxitque,*) hujusmodi sponsos jungendos esse matrimonio a parocho catholicorum sacris addicto, in signum prærogativæ religionis dominantis, etsi sponsus acatholicus revera mallet a contrahendo matrimonio abstinere, quam catholicum sacerdotem habere fœderis conjugalis ministrum; neque aliud quidquam hic agi oportere, quam ut, siquidem promulgatio hujusce matrimonii ab utroque parocho fiat, petente sponsorum altero, nimirum acatholico, permitti possit, ut pastor acatholicus tanquam testis in solemni inauguratione, quæ a catholico parocho peragenda est, præsens assistat. Quodsi sponsus acatholicus hujusmodi indulgentiæ haud velit acquiescere, atque malit abstinere a contractu: permittendum id est; quandoquidem statui, ac reipublicæ res sit prorsus indifferens, utrum subditus cum hac aliave subdita matrimonium ineat.

*) *Edictum* 25. *Oct.* 1783.

85.

Quod ad *jura stolæ*, et libros parochiales attinet, augustissimus Imp. decrevit: *) Cum parochis catholicis jura stolæ ab acatholicis impertienda sint, ab eisdem, etiam baptizatorum, copulatorum, et defunctorum acatholicorum nomina sub eisdem, quibus hactenus, cautelis accurate, et recte non interrupto ordine libris inscribenda esse. Quodsi pastor acatholicus peculiarem etiam matriculam ad privatam notitiam conscribere velit, nihil interesse, et permitti id posse. Quod vero **) ad æditúos attinet, declarat Augustissimus, acatholicos non

amplius teneri, illis quidquam solvere, neque scholarum magistris, si liberos suos in scholas non mittant; sed propriam protestanticam constituerint.

*) 20. *Febr.* 1782.

**) 17. *Martii* 1782.

86.

Ut parochus, siquis tumultus (motus) oritur, recte se gerat, semper cæsareo-regia edicta, ob ejusmodi casus edita, tanquam ad norman, et agendi regulam, ei est respiciendum. Cum primum, ut fert edictum, *) aliqua inquietudo animadvertitur, acatholicis declarandum est, eos accuratissime ad promulgatum tolerantiæ decretum oportere sese gerere; in eodem nequaquam ipsis concessum esse, ut alius alium in eodem loco, nedum in diversis locis investiget, sed unumquemque, qui aliam, quam catholicam religionem vellet amplecti, id aut œcōnomicæ præfecturæ, magistratui aut circuli (districtus) præfecturæ parocho tamen non adhibito, per litteras debere indicare.

*) 15. *Jan.* 1782.

87.

Integrarum communitatum declarationes, aut catervatim tantum factæ nullo modo ut validæ probationes habendæ sunt; sed omnes hoc profitentes subditi acatholici iterum ad præfecturam, vel magistratum vocandi sunt, et ibidem singuli tam viri, quam feminæ, præsente quodam ob id ab Ordinario destinato clerico, de sua religione, de propriis fidei dogmatibus, de suis dubiis breviter, et solide interrogandi. Singulæ hæ

acatholicorum declarationes breviter litteris consignandæ, iisdem prælegendæ, et ab unoquoque subdito nomine suo, vel aliquo addito signo suscribendæ sunt. Ecclesiasticum, qui assidet, Commissarium sui, quod eum ad hoc obstringit, officii causa oportet eniti maxime, ut eos, qui omnino ignari sunt, aut in suis principiis fluctuant, vel religionis, quam sibi eligunt, nulla omnino cognitione instructi sunt, benignis, lenibus, convincentibusque verbis, et claris argumentis doceat, et ad catholicam religionem revocet.

*) *Edictum* 31. *Jan.* 1782.

88.

Quod ad illos liberos attinet, qui ad parentes acatholicos nequaquam redire, sed apud catholicos manere volunt, ut periculum coactionis, et defectionis a fide declinent; Augustissimus Imp. declaravit, "generatim annos non posse determinari, cum mentis illus»tratio, adjuncta (circumstantiæ), clarior captus (in»telligentia), perfectissima libertas, nullæ stimulatio»nes; multo minus antecedens pœna, et indignatio er»ga vocationem, ceu remotissimæ etiam causæ voca»tionis considerandæ sint. Quodsi omnes de his condi»tionibus nulla excepta interrogationes eorum propriis »parentibus, cognatis, et religioni eidem addictis fue»runt factæ, et confirmatæ, elapsisque sex mensibus »denuo repetitæ, et renovatæ, soboles, cujuscumque »ætatis, si se catholicam profiteretur, non secus, ac »sufficienti doctrina imbuta haberi, et admitti posset; »sicut si vel una harum observationum deesset: sobo»lem, cujuscumque ætatis, si nondum sui juris esset, ob »vocationem e veris causis non ortam parentibus, et »cognatis eripi, et denegari non posse."

*) *Edictum* 28 *Martii* 1782.

89.

Quantum ad subditos in provinciis Germaniæ hæreditariis, qui fixo elapso tempore (termino) a 1. Jan. 1783. declaratum veniunt, se toleratam religionem aliam amplecti; statuit Augustissimus Imperator, ut hi, omnibus violentis mediis abesse jussis, quo facillime fieri potest, modo ad veram religionem reducantur, atque singularis quisque homo, aut familia, quæ a religione deficit, adigatur ad instructionem de catholicæ religionis dogmatis continuos sex menses percipiendam. *) Quodsi post id temporis redire nolint; **) referantur in indicem generalem acatholicorum sub inscriptione (rubrica) peculiari: *serius se sistentium*; eisque ut omnibus aliis liberum religionis suæ exercitium permittatur.

*) *Edictum* 21. *Febr.* 1783.

**) 15. *Maii* 1783.

90.

Plerumque existimandum est, petulantes concitatores, et factionum auctores nequaquam religionis causa impulsos, et convictos; sed ex causis longe inferioribus sibi socios velle consciscere; ideoque sumptis a religione argumentis non facile posse emendari. Hæc igitur tantum fieri posunt: 1) ut parochus suo in cœtu publice, et privatim monendo quietis, et pacis amorem studeat conservare: 2) ut potestati politicæ indicet, quæ necessaria remedia adhibebit. Petulantes concitatores, ut habet edictum cæs. reg. 30. Junii 1782., aut in regione circumvagantes hominum corruptores secundum generalia principia politica comprehendendi, et puniendi sunt.

91.

Culpa minime vacaret, qui æquitatis regulas erga alienæ religioni adhærentes observandas erga proprios fratres, et vocationis socios violaret, et invidia, superbia, sui commodi studio, levium opinionum, immo etiam togæ diversitate insociabilem, et asperum se præberet. Poteritne concordiæ spiritus in christianorum grege regnare; si discordiæ spiritus inter pastores dominatur? In hanc rem est, quod apostolus de christianis, qui Corinthi erant, scribit: *Obsecro* *) *vos, fratres. . . . ut non sint in vobis schismata. . . Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?*

*) 1. *Corinth. I. 12. seqq.*

92.

Non raro accidit, ut in communitate homines sint, qui male audiant. Malæ famæ homines (infamati) hi appellantur. Varia hic utendum est circumspectione. Quam ob rem parochus 1) credulus ne sit, neque omni loquaculo faciles aures præbeat. 2) Clam, quoad fieri potest, in rem inquirat; neque hominem aggrediatur prius, quam reapse, et liquido constet, eum perniciosa pravitatis exempla præbere. 3) Primo loquatur generatim, quæratque occasionem ostendendi; quam turpe, quave pœna dignum sit scelus, quod eum commisisse suspicio est, aut revera perpetravit; quin tamen eum reprehendat. 4) Si infamatus eo se facinore contaminatum esse fatetur, agendum est cum illo secundum generales de puniendi officio regulas. Si

pertinacem se exhibet, aut a culpa purum se esse præfracte asserit, proponatur ei, consulendum esse suæ famæ. Hæc monita, si nihil proficiunt, si illud pessimi exempli scelus, et quæ ex eo in communitatem manant mala, impediri nulla ratione queunt, prudentem in modum id magistratui indicetur.

93.

Non laudandum est illud misericordiæ genus, cum scelerum reis, pœnas ut effugiant, in templum, aut alia loca religiosa confugientibus præbetur asilum. Rerum ordo invertitur, cum major suscipitur cura, ut homines scelerati pœnas non luant, quam ut respublica, et ejus innoxia membra tuta sint, quæ hi flagitiosi, simul ac impuniti evaserint, certissime iterum lædent. Huic innititur, quod cæs. reg. edictum mandat: *) scilicet magistratus secularis, ad quem id pertinet, aut judex secularis protinus ab eclesiastico templi, vel religiosi loci, quo sceleratus confugit, antistite, ut decet, petat, reus sibi ut tradatur. Templo vero præpositus nulla interposita mora eumdem tradat, quin prius ecclesiasticum superiorem idcirco consulat.—Præcipimus omnibus, et singulis, cujuscumque status illi sint, sub pœna nostræ gravissimæ indignationis, nequis audeat hominem asylum quærentem sub quocumque prætextu occultare, aut, ut evadat, adjuvare.

*) 15. *Sept.* 1785.

94.

Interdum contingit, ut per homines factiosos publici tumultus, aut seditiones concitentur. Quæ ut comprimantur, maxime conniti debent, qui in eo loco magistratum gerunt. Verum otiosum hoc rerum statu spec-

tatorem haud decet esse parochum. 1) Igitur, si fieri potest, seditionis auctores leniter, et prudenter moneat. 2) Auctoritate, aut opibus in communitate magis pollentes hortetur, ut ad illorum hominum societatem nullo modo accedant. 3) In publicis de religione sermonibus generatim doctrinam de pace, ac concordia proponat. 4) Ad neutram factionem se adjungat; neque cum ideo interrogatur, utra factio recte, an male agat, sententiam pronuntiet. 5) Imprudentissime ageret, si ipse, ut pacem conciliaret, in medias concertantium catervas in publico sese immitteret. Reddenda ei esset facti ratio: ipse sibi molestiam, et ignominiam accerseret; quid quod etiam in vitæ discrimen temere se conjiceret.

95.

Satis notum est, homines etiam probos injuriis lacessiri, et exagitari. Itaque sæpe fit, ut in religionis doctorem mentis malignæ homines verbis acerbe invehantur, ejus jura in controversiam vocent, aut famam lacerent. Hac in re parendum est monito apostoli. *) *Non vosmetipsos defendentes; sed date locum iræ.* 2) De his in publicis de religione sermonibus conqueri, haud expedit. Plerumque improbus hominum malignorum animus magis inflammatur, in eis, qui neutram in partem inclinant, movetur suspicio, et inde nascuntur factiones. 3) Optimum factu est, honoris sui, et jurium defensionem hominibus probis committere. Verum cum religionis doctor, ut cum fructu laborem suscipiat, auctoritate in cœtu suo debeat pollere, non semper ei licet, hæc dissimulare. Apostolus, quando rerum conditio postulabat, tueri integritatem suam bene noverat. **) Qua in casibus peculiaribus agendi ratione utendum sit, res ipsa docebit.

*) *Rom. XII.* 19.

**) Ita inter cætera apologerico sermone se vindicabat coram *Festo*, quem adierant *principes sacerdotum, et primi Judæorum*, rogantes, et postulantes, *ut juberet perduci eum* (Paulum) *in Jerusalem insidias tendentes, ut interficerent eum in via. ... Neque in legem Judæorum*, ajebat, *neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. -- Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: Si vero nihil est eorum, quæ hi accusant, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.* Act. XXV. 3. 8. 11.

96.

Pari fere ratione agendum est, cum non a multis; sed ab uno, alterove injuria infertur, aut inimicitiæ nascuntur. 1) Tum pastor observet generales de injuriis condonandis regulas, et imitetur exemplum Christi, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. *) Removeat omnes inimicitiarum causas, levissimas etiam, minimeque culpandas, si salva fide, salvoque officio, fieri possit. 2) Inimicum beneficiis, et amore, atque in primis muneris sui officia egregie obeundo conciliare sibi studeat. *Si inimicus tuus*, dicit apostolus **) *esurierit, ciba illum; si sitit, potum da illi*; opem ubicunque potest, fer indigenti. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Quodlibet beneficium eum in ruborem dabit, et odia ac inimicitias extinguet. *Vince igitur in bono malum.* 4) Inimicis viam in gratiam redeundi, quam potest facillimam, aperiat.

*) 1. *Petr. II.* 23.

**) *Rom. XII.* 20.

97.

De juribus, et privilegiis (immunitatibus) cum pastorali munere connexis prolixe agit jus ecclesiasti-

cum. Hæc tantum monemus 1) licere parocho, ut successori jura omnia integra servet, eadem tueri, et propugnare. 2) Ea vero non ultra, quam decet, extendat. 3) Iisdem recte, et prudenter utatur.

98.

Extra controversiam est, parocho sustentationem petendi jus esse. *Dignus est operarius mercede sua.* *) Ejus reditus consistunt *a*) aut in usufructu fundorum ad parochiam pertinentium, agrorum, pratorum, vinearum, silvarum etc. aut *b*) in collationibus (contributionibus) quas vel annuatim, vel ob quasdam muneris pastoralis functiones obtinet. Ad prius genus pertinent: 1) decimæ, 2) fixum salarium e publicis ærariis, 3) definitus pecuniæ modus, quem communitas suppeditat. Ad posterius pertinent jura, ut appellant, stolæ.

*) 1. Tim. *V.* 18. *Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?* (cibum et potum flagitandi) scribebat apostolus ad Corinthios, *quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem* (humanis nixus ratiociniis) *hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti.... Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant?* 1. Corinth. IX. 4. seqq.

99.

Satis patet, iniquissime agere parochum, sibique et successori nocere, qui ad parochiam pertinentes fundos

in bono statu non conservaret, et diligentem eorum culturam negligeret. Edicto cæs. reg. cautum est, ne sine consensu provinciæ præfectorum abalienentur, aut permutentur.

100.

Manifestum est, parocho tantum jus esse ad eos reditus, qui legibus, et consuetudine ad ejus sustentationem destinati sunt. Edicto cæsareo regio præfectis provinciæ præcipitur, *) 1) ut protinus aboleant illum abusum, quo confesionis paschalis causa a singulis nummus, *cruciger* dictus, postulabatur. Alio edicto prohibetur, **) pecuniam ob exomologesim et eucharistiam ab ægrotis exigere, et *limitationem* permittere; secundum Part. I. Sect. II. §. 28. 3.) pro baptismo jus stolæ petere non licet. 4) Pecuniæ ad eleemosynam in ecclesiis collatæ non sunt pars sustentationis. In edicto 22. Maii 1773. dicitur, indicatum esse, quosdam parochos collatas ad eleemosynam in ecclesiis pecunias sibi, quod haud deceret, solere attribuere; hoc maxime iniquum ut in posterum prohibeatur, ab Augustissimo justissime mandari.

*) 16. *Oct.* 1767.

**) 6. *Jul.* 1776.

101.

Jura stolæ, quæ exigere parochis licet, sunt: 1) pro sepultura, præterquam pauperum, qui nihil, nisi exiguam supellectilem relinquunt; et quorum inopiam aut magistratus, aut fundi judex testatur. Etiam expositii, *) tanquam ii, qui a republica sustentantur, gratis sepeliantur; 2) pro copulationibus; 3) pro terna denuntiatione; 3) pro testimonio e baptizatorum matrimonio conjuntorum, vel defunctorum catalogis.

In quocumque alio casu nulli plus, quam in antecedentibus rubricis assignatum est, non tantum exigere, sed ne accipere quidem fas sit. **) Pro benedictionibus puerperarum nihil quidem postulare licet; si sponte quidquam offertur, acceptare fas est.

*) *Edictum* 16. *Junii* 1785.

**) 25. *Jan.* 1782.

102.

Cum ea, quæ jure debentur, exigit parochus, caveat, ne importune, et vi extorqueat; et etiam nequid liberalitate haud æqua (male intellecta) quæ successori detrimento sit, remittat. Semper, dum munere suo fungitur, petat, quod consuetum est dari, præterquam ab inopibus. Quodsi beneficus esse cupit, alio modo convenientius id poterit compensari.

103.

Quod ad sponte oblata (simbolas) dona, beneficia attinet; caveat, ne malis, minimeque decentibus artibus ea nanciscatur, neque facile, et temere acceptet. Fit enim, ut se aliis devinciat, et multæ hinc oriantur molestiæ; et sub jugum mittatur. Beatius est, *magis dare, quam accipere.* *)

*) *Act. XX.* 35.

104.

Monere hic non est opus, 1) parocho, ut prudentem quemque decet, opibus suis prudenti modo esse utendum. 2) Ne sit nimium tenax, aut prodigus. 3)

Accurate conferat accepta cum expensis. 4) Caveat, ære alieno ut se obstringat, necesse ne sit. Qui id facit, plerumque in mœrorem incidit, dificiles obligationes sibi parit; sæpe etiam dedecus accersit.

105.

Ut parochus ipse in variis casibus tutus sit, et ne successori aliqua molestia, vel difficultas nascatur, libris parochialibus, sive protocollis accurate, et recte cuncta, ut oportet, mandare, maxime ipsi curæ sit. In qualibet vero parochia hi existant libri: 1) liber baptizatorum, sive recens natorum cum rubricis Part. II. Sect. II. §. 34. notatis. 2) Defunctorum secundum Part. I Sect. II. §. 175. 3) Matrimonio junctorum secundum Part. II. Sect. II. §. 159. seq.

106.

Vergente ad finem quolibet anno, parochi. -- *) e tribus hisce libris colligant, contrahantque tabellam annuam, formulæ inscriptionem (rubricarum) respondentem; quam quidem saltem in medio Ianuarii una cum districtu conscriptionis ad præfectos circuli pariter transmittant.

*) *Edictum* 20. *Febr.* 1784.

107.

Quod pertinet ad eos, qui militari ordini adscripti sunt, Augustissimo decreto *) mandatum est, ut omnes legitimi animarum curatores, quemcunque militaris ordinis vel baptizaverint, vel sepelierint, non solum in libris suis diligenter annotent; sed eis etiam, ad quos attinet, plerumque in vicinia morantibus sacellanis campes-

tribus accurate indicent, facta mentione paginæ protocolli, cui hæc inscripserint: ut, suborto dubio, quid rei sit, inveniri facile possit. Occasione dubiorum, aut difficultatum, quas obmovit Passaviensis Ordinariatus, edicto omnibus parochis promulgato, quo cavetur, ut, si quos acciderit vel baptizare, vel copulare, aut sepelire ex his, qui militari statui aggregantur, id referant ad sacellanos campestres, ad quos attinet; audito supremo cæs. reg. consilio militari aulico decretum fuit, **) ut ad præfixum finem obtinendum parochi, dum in fine cujuslibet anni summaria protocolli conficiunt, redduntque, peculiare summarium addant, quod comprehendat dictos casus; illudque ad circulorum (districtuum) præfectos, aut ad consistorium sui ordinariatus mittant. Collectas id genus notitias consistoria cum superiore campestri, iste cum legionibus, ad quas spectaverint, communicent.

*) 30. *Aug.* 1783.

**) 6. *Decemb.* 1784.

108.

Cum, ut dicit edictum aliud, *) sit cum cæs. reg. consilio militari aulico conventum, ut in posterum ad accuratiorem percipiendam notitiam de populi multitudine, aut numero, etiam de his, qui apud legiones baptizantur, copulantur, et sepulturæ mandantur, a sacellanis campestribus indices conficiendi sint augustissimis edictis conformes; elapsoque anno nonnisi summaria per generales militares præfectos, qui sunt in provinciis ad politicum provinciæ regimen aut gubernium ad verum ineundum numerum, velut præscribitur, referenda sint: necessarium visum est demandare provinciarum præfecturis, ut curent, omnes parochos adigi, ut

apud se baptizatos, copulatos, et sepulturæ traditos ex his, qui ordini militari accensentur, equidem protocollis suis inserant; at in tabellis annuis ad præfectos circulorum mittendis omittant: quoniam, si secus fieret, militiæ adscripti comparerent bis; eoque pacto perturbaretur calculatio, ut rectus iniri numerus de populi multitudine haudquaquam possit.

*) 1. *Junii* 1784.

109.

Ex edicto cæs. reg. *) clericis secularibus gravissime præcipiendum est, ut hos magni momenti ecclesiarum parochiarum libros, quam possunt, tutissime custodiant, et asservent, commendandumque, ut orto incendio ante omnia periculo eripere, et in tuto collocare omni cura, ac opera connitantur.

*) 10. *Martii* 1774.

110.

Ut in re tam gravis momenti eodem modo ubique, et in omnibus agatur, imperavit Augustissimus 1) Parochi, quorum parœciis plures adscripti sunt pagi, ad errata quævis evitanda, singulis pagis proprios libros deputent, iisdemque, quæ sunt notanda, inscribant; atque ad finem anni tabellas conficiant, reddantque peculiares, ut pagis singulis tabella sua respondeat. 2) Consistoriorum arbitrio equidem relinquitur, obstringere parochos in functionibus sacri muneris ad antigraphiæ quoddam genus; ut notas de sacramentorum administratione, et loco sepulturæ matriculæ defunctorum inferant; at propterea opus haud foret nova, ac peculiari inscriptione (rubrica); sed, quoad ejus fieri potest, subjiciantur istiusmodi adnotationes inscriptio-

ni (rubricæ) locum designanti. Cæterum cum nullam cum politico connexionem habeant: in tabellis annuatim ad præfectos circulorum mittendis, nulla earum est facienda mentio. 3) Pastorum est, matriculas copulatorum, baptizatorum, et defunctorum, earumve rerum notitias, ad parochos catholicos, ut fert præscriptus ordo, mittendas, secundum formulam legitimam conficere, atque ex ejus præscripto nomine suo subscribere, adnotatis testibus, et patrinis. Parochi vero ea suis matriculis adjiciant, ac diligenter conservent; ut tum visitatores Ordinariatus, et præfecti Circulorum certo persuadeantur, omnia, ut oportet, inserta esse parochialibus libris; tum ut, excitato dubio, fides monumentorum illis subnixa confirmari possit.

111.

Præterea sanxit Augustissimus, *) "ut ab omnibus »parochis omnes cæsareo-regiæ leges, et ordinationes »*in publico-ecclesiasticis* libro peculiari, una cum ejus »indice, quemadmodum ab aliis curam animarum ge»rentibus jam observatur, consignentur; isque liber li»beris usibus pateat, ac instructioni Curatorum, et Ca»pellanorum, relinquaturque successoribus, recte, ut »oportet, continuandus." Idem observetur quantum ad ordinationes consistorii episcopalis.

*) 13. *Maii* 1783.

112.

In rituali *Romano*, et edicto cæsareo-regio pro Bohemia *) etiam præscribitur, ut contextatur liber conscriptionis animarum, hac inscriptione: *Status animarum parochiæ N. N.*, in quo cujusque ætas, sexus, diligentia in doctrina christiana addiscenda, usus sacramentorum notentur.

*) 12. *Aug.* 1775. *Vide hac de re tabellam exempli causa propositam in Epitome legum etc.*

113.

Utinam, dum operi finem impono, omnibus, quicunque doctrinis hisce institutionibus contentis ad obeundum pastorale munus utuntur, ac his pariter, quicunque eas in prælectionibus suis explicaturi, amplificaturi, et confirmaturi sunt, altius possem infigere, imprimereque eorum animis monitum, quod PAULUS, primus ecclesiæ Corinthiorum doctor suis cooperatoribus, atque succesoribus dabat; ut videlicet se omnes existiment tanquam operarios divini operis, et structuræ religionis, arctius adhæreant puræ, inconcussæ, doctrinæ IESU, et super hoc fundamento non ædificent, nisi doctrinas genuinas, exactas, solidas, atque id genus præscriptiones, quæ examina quævis etiam ignis simillima ferant; non autem doctrinas minus accuratas, leves, haud fundatas, humanoque ingenio excogitatas, quæ, dum eis contradicitur, dumque explorantur crisi severiore, æque ac materiæ, quæ facile flammas concipiunt, in igne haud perdurant. *Ego platavi*, scribit apostolus, *) *Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus: Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt* (ad unum scopum communem omnia dirigunt). *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores; Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis: Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus, fundamentum posui. Unusquisque autem videat, quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Siquis autem superædificat super fundamentum hoc; aurum, ar-*

gentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam. Uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit; quia in igne revelabitur: et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.

*) 1. *Corinth. III. 6. 13.*

SUMMARIUM II. VOLUMINIS

PARS II.

De cultu religionis externo.

SECTIO I.

De cultu divino ordinario generatim.

SECTIO II.

De diversis actionibus ad cultum divinum pertinentibus.

APPENDIX

De qualitatibus animarum pastori necessariis prudentique vivendi ratione.

SECTIO I.

De qualitatibus ad pastorale munus necessariis.

SECTIO II,


De prudenti pastoris vivendi agendique ratione.

baptizati, juncti matrimonio, ac sepulturæ traditi fuerint, etiam militaris ordinis, tum ut cognoscatur status animarum parochiæ, tum ut si quid dubium occurrit, facile possit inveniri. Rituale Romanum et regia præsertim edicta de hisce libris observanda, pag. 205.-208.

113. *Denique tertius pastoralis muneris nullum aliud ponatur fundamentum præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*, pag. 209.






280
THEOLOGIA
PASTORALIS
2
59

colorchecker CLASSIC

calibrite

mm